BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
35 M H
23

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
18. h

5. D. 28

5.d.31
B
D
31

COMMENTARIA IN PROPHETAM NAHVM,

CYPRIANI MONACHI CYSTERCIENSIS, DIVINAE LEGIS INTERPRETIS,

IN COMPLVTENSI ACADEMIA.

IN VIRTVTE, ET FORTVNA.



LVGDVNI,
APVD GVLIEL. ROVILLIVM,
SVB SCVTO VENETO.
1568.

EXTRACTUM EX REgiſtris facultatis theologiæ Pariſienſis.

ANno domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, die verò penultima menſis Iulij, ſacratiſsima theologiæ facultas Pariſienſis poſt miſſam de ſancto ſpiritu apud collegium Sorbonæ ex more celebratam, in eodem collegio congregata eſt, ſuper articulis ſequentibus, &c.

In qua congregatione retulerunt honorandi magiſtri noſtri frater Iacobus Chreſtien, & Magiſter Guilielmus Chauſſe doctores theologi, qui ex ordinatione facultatis præfatæ, viſitarunt librum intitulatum, Commentaria in prophetam Nahum, Cypriani monachi Cyſtercienſis, diuinæ legis interpretis in Complutenſi Academia, 1559. Audita prædictorum magiſtrorum relatione de prædicto libro, non impedit facultas quo minus dictus liber imprimatur.

De mandato dominorum decani, & magiſtrorum noſtrorum ſacratiſsimæ facultatis theologiæ Pariſienſis.

ILLVSTRI AC GENEROSO DOMINO D. HOnorato Ioanni, Caroli Hiſpaniarum Principis præceptori digniſsimo, & bonarum literarum patrono vnico, Cyprianus Monachus Ciſtercienſis S. P.

SVſcepit iam vita hominum, conſuetudóque cōmunis (vir admodum illuſtris) vt qui cogitationes ſuas ſcriptis mandare, atque in vulgus ædere inſtituunt, patronos prius, imò & laudatores & aduocatos, ex ipſa nobilitate viriſque primariys, ſummo ſtudio atque diligentia conſectentur. Quorum cōſilium ego non ſolùm probarem, ſed laudarem etiam vehemen-

ter, ſi ea tantum quæ in illuſtrium viro- rum tutela atque præſidio ſunt poſita, vulgi iudicio atq; omni improbitatis moleſtia, libera eſſent. Cum verò animo cogitationéque comprehẽdo nihil vnquam tam exactum, magnóque perfectum ingenio, aut induſtria elaboratum, extitiſſe, quin multorum incurreret reprehenſiones, & imperitæ plebis conuitijs vellicaretur (vel aduerſante & repugnante nobilitate tota) adduci profecto nulla ratione poſſum, vt putem, hoc genus hominum, fructus laborum, quos in exquirendis defenſoribus, & ſcriptis dicandis inſumpſere, non omnino perdere atque profundere. Sed vt magnorum ingeniorum vigiliæ, & cõmẽtationes, certi atque firmi præſidij partem aliquam, ab ipſa generis vetuſtate ſperare poßint (quod falſum omnino iudico) ſemper profecto dementi & inconſiderata temeritate plenum erit, indoctis &

impe

imperitis hominibus labores nuncupare tuos, ea tantum ratione quòd vetuſta familia ſummóque genere ſint nati: & non ea potius quod ad domeſticum ſplendorem optimarum artium cognitionem, & multarũ rerum ſcientiã addidere. Neq; enim nominis amplitudo, & generis vetuſtas (bonarum literarum cognitione deſtituta) ſed coniunctiſsima inter homines amicitia, atque ingenuarum artium indefeſſum ſtudium, & ſummæ ſapientiæ amor, excellentium virorum ſcriptis, patronos ſemper atque defenſores dedit. Quocirca veterum ſcriptorum conſuetudo illa mihi ſemper viſa eſt, totius poſteritatis memoria, & imitatione digniſsima, quæ amicis & neceſſarijs, magnáque beneuolentia coniunctis (doctis tamen & eruditis) omnes animi meditationes, & labores ſtudiorum nuncupabat. Videbãt homines ſapientes hoc genere officiorum

& cultu amicitiæ, lætos ſe atque vberes fructus, nulláque permixtos acerbitate, capere poſſe. Principio enim quanuis multa ſint quibus ſummæ amicorum coniunctiones retineri poſſunt, tum verò illud obſeruantiæ genus, maximum ego atque præcipuum iudico, quo noſtri animi cogitatus, atque intimos ſenſus, hominibus amiciſsimis & chariſsimis conſecramus. Quòd ſi ingenij commentationibus multo ſudore accuratis ac meditatis, firmioris præſidij & ſecuritatis partem aliquam vehementer optamus, vt aduerſum genus omne periculi, tanquam ſeptæ ſint & munitæ: vbi quæſo facilius inueniri poſsit, quàm in amicorum diligentia & opera, qui noſtrorum animorum fœtus, non minori charitate proſequuntur, quàm ſi ſui eſſent? Niſi falſum omnino putamus, quod Cicero inquit: in eo amicitiæ vim poſitam, vt vnus quaſi animus fiat ex pluribus.

ribus. Tum ſi cuiuſquam nomen noſtris eſt illuſtrandum ac celebrandum ſcriptis, cui potius quàm amico id officij præſtandum eſſe cenſemus? Ergo cum ſint amici inter cæteros mortales, quibus nos totos dedere, & in quibus noſtra omnia ponere, & quaſi conſecrare debeamus: tum verò doctis & eruditis, & omni genere doctrinæ excultis, multo magis. Si autem ad amicitiæ cuiuſquam coniunctionem, & cognitionem optimarum artium, generis accedat ſplendor (adde etiã & autoritas ſumma) hic profectò, vt exiſtimo, dignus cenſeri debeat, qui in fidem ſuam labores noſtros, & ingenij monumenta ſuſcipiat, quem etiam in locum patroni atque defenſoris ponamus. Perfecit itaque non tantum generis & nominis tui amplitudo, ſed arctiſſima inter nos beneuolentia, & præſtans in omni genere rerum doctrina tua, vt libellus iſte in

tuo tandem nomine appareret. Qui & ſi peregrinus fortaſſe ad te veniet, neque iis diſtinctus rerum verborumq́ue inſignibus, vt pari cum cæteris ſcriptoribus (quos diligentiſsimè verſas) laude dignus ſit, cui tamen iuſtius quàm tibi nuncuparem, habui neminem. Fieri enim non poſsit (vt arbitror) vt ad conſilium noſtrum & ſtudium, illuſtrandi ſacras literas, & explicandi prophetarum oracula (quæ multis ſunt obſcuritatibus inuoluta) non tantus accedat cumulus, doctrina, gratia, & autoritate tua, quantus vel à me deſiderari poteſt, vel ad multorum beneuolentiam huic operi conciliandam, neceſſarius eſſe videtur. Flagitabunt fortaſſe plerique ſummam dicendi copiam & vbertatem ab hoc volumine: ſed ego longè aliud homini ſapienti ſpectandum eſſe non dubitem, ei præſertim qui diuinæ legis explicandæ munus ſuſcepit. Aliud eſt enim

elo

eloquentiæ genus, quod iuuenes forenſibus cauſis deſtinatos, aliud quod diuinæ voluntatis præcones, & cæleſtis ſapientiæ cultores decet. Neque dubito præterea fore quoſdam quibus multis in locis oratio noſtra videbitur incitatior, quàm cõmentariorum leges patiantur: ſed ignoſcãt velim homini vaticinia Nahum explicanti, qui aduerſus impudentiam & impietatem hominum, pro Deo immortali liberatore orbis acriorẽ multo quàm pro aris & focis, pro delubris & templis, dimicationem in hoc volumine ſuſcipit. In quo (vt Ariſtophanes olim de Pericle dixit) fulgurare & tonare, & totum Aſſyriorum regnum, ac Niniuitarum ciuitatem permiſcere videtur. Nã eſſet profectò imperiti hominis, & omnino infantis humili dicendi genere, aut modico & prorſum temperato ſemper vti, cùm illius ſuſcepit explicanda vaticinia, cuius tota eſt oratio

fortis, acris, & incitata. Itaque fuit nobis neceſſarium (ſpretis interdum cōmentariorum legibus) altiori & exaggerata dicendi figura vti: imò & redundāti & circūfluenti, quò pio lectori propheticæ orationis flumen, & vehemētiam, quaſi ante oculos poneremus. Neque enim de rebus horridis, ieiunis, & peruulgatis tractat egregius vates, ſed de grādioribus (vt ita dicam) Tragicis. In quo dicendi genere res ipſæ rapere verba ſolent, ita vt neceſſitatē quadam tota fiat oratio vehementior, maximeq́ commota. Vale

Compluti V. I.
Nonas Iunij
1559.

IN CYPRIANI NA:
HVM, P. RIVII CARMEN.

Ornatũ varijs Heros opus artibus ædit,
Et placidũ dulci fundit ab ore melos.
Omne genus literas paruo ſub codice tradit,
Nam paruo in mundo cuncta dedere Dei.
Cedat Ariſtoteles, diuus Plato ceſſerit vltro,
Et Latij cedat iam pater eloquij.
Multiplici exornat Cyprianus voce prophetam,
Ut deſint operi numina nulla ſuo.

ANDREAS RODERICVS CORDVBENSIS, ad pium lectorem, hendecaſyllabum carmen.

QVIS quis Theſpiadum ſitit liquorem,
Quiſquis Caſtalium melos requirit,
Optans eloquijs frui ſupernis:
Iam Nahum legat inclytum prophetam,
Obſcurum tragicis adhuc figuris,
Nunc clarum, facilem, nimis nitentem.
Quod ſi me ſciolus rogarit vllus,
Quis tantum ſibi nomen ex Iberis
Et laudem paret, & decus perenne,
Dum ſacri tenebras fugat prophetæ:
Is magnum ſciat eſſe Cyprianum
Illum, quem meritò patrem vocamus
Morum religionis, & Mineruæ.
Cuius ſic Veneres ab ore manant,
Hyblæi ſimul, Atticique rores,
Vt fundat ſuperum ſubinde nectar:
Ipſe omnis ſapientiæ magiſter.

INDEX VERBORVM

& ſententiarum, quæ in hoc volumine continentur.

ABIETES quidam pro agitatoribus vertunt. fol. 302
Aduerbium, Ecce. 268
Afflictionis nomine, quid Nahum, &c. 230
Agitatores cõſopiti ſunt, quid apud eundem. 301
Alexandria à quo ædificata ſit. 422
Alexãdria populorũ nomine quid Na. ibi.
Animi noſtri ſubſtantiam quidam vocabant. 411
Anarchaſis Athenienſium leges telis aranearum ſimiles dicebant. 239
Ancillarum nomine, quid Na. 335
Ancillarum gemitus columbarum querelis ſimiles. 339
Aquarum ſimilitudine quid. 342
Arthemiſia Cariæ regina. 359
Aſcendit ô Aſſur qui diſpergat &c. quid Nahum. 278

Aſpectus

Aſpectus Babyloniorum lapidibus ſimiles. 305
Auaritiam vitiorum Metroplis. 328
BAſam & Carmelus & Libanus mõtes vbi ſint ſiti. 97
Baſam, Carmeli &c. appellatione quid Na. 95
Belihal. 273
Benignũ Deũ appellat Nahũ, cũ alioqui ſummã animi indgnationẽ illi tribuat. 63
Bonitatis Diuinæ rationes. 63
Boni nomenclaturam quomodo Deo tribuit Na. 118
CApur & labia mouere quid. 418
Capillorũ cõmemoratione quid.
Clypeus ignitus. 295
Coccinea veſtis. 298
Coccinea veſte Chriſtum R. N. Iudæi induebant. 299
Colorum ſimilitudine multa docet ſcriptura ſacra. 367
Cõminationem in Aſſyrios ipſa interrogatione acriorem multò reddit Na. 108
Conſummationem ipſe faciet quid. 177
Conuiuium pariter potantium. 196
Corporis partiũ quorũdam nomine, quid exprimat ſcriptura Diuina, 279
Cor

Cor tabeſcens. 363
DEus vltor,zelotypus,iracundus. 44
Deo diuerſa nomina tribuuntur. 46
Deus quando creator,quando zelotypus, quando vltor appellari cœpit. 47
Deo affectus & motus tribuuntur. 52
Deus in ſacris literis omnem ſibi vſurpat rationem vindictæ. 56
Deus tardus aut longus facierum. 62
Deus fortis. 71
Deus mũdãs & nõ facit innocẽtẽ quid. 73
Deus nõ vna tantum ratione ſed varia ac multiplici homines erudire voluit. 84
Deus,ſcutum,lorica,refugium,robur, potentia,virtus à Dauid quam ob cauſam dicitur. 231
Dei opera quænam ſint quæ potentius hominem inſtruere poſsint.
De aquis ſub terris naſcẽtibus & de terra atq; aliis elemẽtis multa dicuntur. 87.88
Diluuium præteriens & conſummationẽ faciens quid. 134
Diluuij appellatio quantum venuſtatis habeat. 137
Dilacerationis nomine quid Na. 390
Diuinorũ operum crebra repetitio multũ roboris habet ad pmouẽdos affectus. 80
Diuina

Diuina ſcriptura verbum dicitur. 231
Dominus exercituum. 379
Dormitauerunt paſtòres tui &c. 436
Duplex tribulatio non conſurget, quid. 178.179.
EBrietatis appellatione, quid. 199
Ebrietas pro quodam vindictæ genere. 428
Ebrietatis nomine, quid, Na. 429
Euangelizare apud Hebræos. 267
Euangelium apud Græcos quid. 269
FEſtiuitatum nomine quid Na. 269
Ficus groſsis munitiones Niniuitarũ aſsimilat Na. 432
Fœlix ſe neſcit amare. 351
Fornicariam Nahum Niniuem appellat. 138
Fornicationis Metaphoram frequenter vſurpat Diuina ſcriptura. 402
Fornicationibus ob quam cauſam Nahũ fœminarum maleficia & incantamenta adiungit. 409
Flagelli nomen ad quid ex quorundam ſententia referat. 269
Fluminum appellatione, quid Na. 93
GEntes aliquot elemẽta tanquam Numina coebant. 90
Habenæ

HAbenæ curruum. fo.106
Haurire aquam,quid Na. fo.435
Hebræi quando carmina occinebãt.f. 265
Hoſiana vox. fo.266
IGnem & lapides Nahum quare commemoret. fo.114
In igne Deus antiquitus ſuam declarabat potentiam. ibidem
Ignis cælitus delapſus ſuper Apoſtolorum ſenatum,quid. fo.116
Ignis pro indignatione apud gentes accipiebatur. fo.117
Imago Aegyptiorum quã in conclaui Reges habebant. fo.95
Increpans mare &c.quid Na. fo.93
Indignationis nomine,quid Na. fo.109
LEgum diuinarum priori inſtitutione, duo potiſsimum Deus expectabat. fo.100
Leones & leonum catulos Aſſyrios appellat Na. fo.360
Lumborum appellatio quo pacto ſumatur in ſacris literis. fo.279
Lumbos confortare,quid apud Na. fo.ibi.
MAla & incommoda quæ impij homines in innocentes excogitare ſolent,in eos ipſos recidunt. fo.275

**

Mendacij plena Niniues. fo.385
Mendacij nomine quid diuina ſcrip. explicet. fo.ibid.
Miles captiuus ductus eſt, quid apud Na. fo.330.
Motus quibus incitantur animi ad cienda corpora, quot ſint. fo.173
Montium & collium mentio quàm frequens ſit in diuina ſcript. fo.266
NIniues aquarũ piſcinæ ſimilis. fo.340
Niniues, leonum habitaculũ. f.377
Nomen in arcanis literis, quid. fo.101
Nomen apud Latinos quomodo vſurpatur. fo.ibid.
Non ſeminabitur ex nomine tuo &c. quid Na. fo.252
OLlæ feruentis veſtigia in cinere confundito, ex Pythagora. fo.32
Ollæ nigredini facies Aſſyriorum aſsimilat. fo.367
Onus in ſacris literis quid. fo.1
Oneris nomen quouſque durauerit. fo.21
Onus Niniues & onus ad Niniuem plurimum inter ſe differunt. fo.22
PEdis nomen variè vſurpatur in ſacris literis. fo.267
Phidias ſtatuarius. fo.359
Portæ

Portæ fluuiorum apertæ ſunt &c. fo.319
Populum ſynceræ fidei diuina ſcriptura virginem vocat. fo.407
Præcipiet ſuper te dominus. fo.244
Præceptũ de baptizandis hominibus quomodo à quibuſdam accipiatur. fo.248
Principum ſcelera graues clades in remp. intuliſſe frequenter legitur. fo.203
Principes, dracones & vrſos diuina ſcript. appellat. fo.373
Prophetia quando onus appellari cœpit. fo.2
Prophetæ circa quid potiſsimum verſentur. fo.2
Prophetæ in hiſtoria, quid. ibid.
Prophetæ circa oratoriam, quid. ibi.
Prophetarum lectio incredibili contentione cum ipſa vtilitate certat. 3
Prophetæ cur alij maiores, alij verò minores dicantur. 3
Prophetæ tã maiores quàm minores quo munere fungantur. 34
Prophetæ cum ab onere exordium ſcribẽdi ducunt, non eandem ſemper ſeruant legem loquendi. fo.24
Prophetæ quænam Dei opera frequẽtius commemorare conſueuerunt. fo.283

Prophetæ quando vtuntur his vocibus. Hæc dicit dominus, Hoc eſt verbum domini, & quia dominus loquutus eſt &c.

Prophetæ non in humilia oppida, ſed in vrbes magnas & opulentas grauem aliquam prophetiam ſemper denotabant. fo.319

Puluis diuinorum pedum quid. 83

QVid cogitatis contra dominũ, quid. fo.173

Quis conſiſtet à furore naſi illius. fo.110

REcordabitur fortium ſuorũ &c. f.311

Renibus omnem doloris ſenſum diuina ſcriptura aſsimilat. 365

Renum ſiue lumborum nomine. fo.366

Reuelare pudenda. fo.412

SAnguinis appellatione, quid diuina ſcript. fo.381.382.383

Sanguinũ ciuitas Niniues cur dicatur. 383

Sciendi ſiue agnoſcendi verbo, quid diuina ſcrip. fo.123

Scientia ſeu cognitio diuinæ mẽtis prima eſt ſanctorum radix. fo.124

Sepulchra cuius rei gratia fuerint inuenta. fo.257.258

Sepulchrorum ratio apud omnes nationes qualis fuerit. fo.256

Sepe

Sepeliendi cura quàm magna fuerit apud Hebræos. fo.259
Signa & prodigia in monte Syna conſpecta quid. fo.104
Similitudinum vſus ad res aperiendas qualis ſit in ſacris literis. fo.182
Sodomorum excidium quo pacto prophetæ vſurpant. fo.111
Spinæ complicatæ quid apud Na. 188
Spicarum arentium metaphora. fo.191
Superbiæ Iacob & Iſraelis nomine, quid Na. fo.283
Sybæ conſpiratio. fo.206
TEmpeſtas & turbo quid apud Na. f.85
Tenebrarum appellatione quid ſacra ſcrip. fo.138
Tenebrarum ratio quotuplex. fo.139
Tenebrarum proſequẽtium nomine, quid Na. fo.147
Theſauri ratio varia eſt in ſacris literis. fo.354
Tondendi metaphora frequens eſt in diuina ſcriptura. fo.217
Tondendi verbo quid Na. fo.219
Tonſio luctuoſa apud gentes quid. fo.224
Tonſio capitis qua ratione ab eccleſia fuerit admiſſa. fo.227

Tranſeundi verbo, quid Na. fo.229
Tranſeundi verbum Deo qua ratione tribui poteſt. fo.ibid.
VAſtatorum & propaginum nomen, quid Na. fo.292
Vaſorum nomine apud eũdem, quid. f.357
Vaſtata eſt Niniues &c. fo.418
Verbo mandandi, præcipiendi, expectandi, & aduerbio modicum quid Prophetæ ſignificarint. fo.20.21
Vendidit gentes in fornicationibus ſuis &c. quid Na. fo.412
Vindicta & caſtigatio diuina non vna tantum ratione fit. fo.183
Vincula diſrumpere quid apud Na. f.234
Vineæ metaphora. fo.291
Virgæ appellatio quot modis in ſacra ſcriptura ſumatur. fo.239
Virgam conterere, quid Na. fo.ibid.
Virgines appellantur in diuinis literis qui Dei verbum obſeruant. fo.410
Virgæ nomine quid ſacra ſcrip. fo.30
Viſionis librum ob quam cauſam totum ſuum opus nuncuparet Na. fo.23
Viſiones prophetæ propria vaticinia appellauere. fo.24
Viſio prophetica maximam habet affinitatem

tatem cum oculorum operationibus. fo.27.28
Viſionis ratio apud prophetas varia eſt ac diuerſa. fo.29
Viſionem propheticam animus hominis duplici ratione poteſt obtinere. fo.40
Viſitationis, vltionis, trituræ ſiue meſsionis tempus quo pacto accipiat diuina ſcrip. fo.193
Vota pro orationibus. fo.273

INDEX LOCORVM QVI AB autore ex ſacris Biblijs obiter explicantur.

Ex Gene.

EA quæ de mundi diluuio Moſes refert. fo.129 5
Quid ſpiritus Domini ibi ſignificet. 94 8
Decubuiſti vt leo & quaſi leæna, & quis excitabit eum? 370 49

Ex Exodo.

De rubo ardenti figura. 115 3
Non aſſumes nomen Dei tui in vanum. 18 20
Mea eſt vltio & ego retribuam. 139 32

33 Mentientur inimici tui &c. 391
34 Zelotes nomẽ eius. Deus eſt æmulator. 50

Ex Deuterono.

4 Deus noſter ignis conſumens. Deus eſt æmulator. 50
18 Dabit tibi dominus cor pauidum & deficientes oculos. 305
20 Si exieris ad bellum contra hoſtes tuos & videris equitatus & currus &c. ibid.
28 Percutiet te dominus amentia & cæcitate 139

Ex 1. Regum lib.

1. Re. 8 Hoc erit ius Regis qui regnabit ſuper vos, filios veſtros &c. 375
2. R. 7 De auricula Dauid ſibi à Deo reuelata. 33
7 Annunciabit tibi dominus quòd ſit tibi facturus domum. 252
23 Præuaricatores aut quaſi ſpinæ euellentur. 189
24 De ieiunio & lachrymis Dauid propter adulterium Berſabæ. 204
3. R. 17 Quæ fuerit cauſa ſiccitatis illius qua tota regio Palæſtina fuit abſumpta. 96
4. R. 18 Bellum Senacherib. 124

Ex Iob.

16 Si vos eſſetis vbi ego ſum, ego ſanè ſuper vos caput mouerem. 421

Vene

Venerunt ad Iob omnes fratres & ſorores 42
& omnes qui antea cognouerũt &c.420
Ex Dauid.
Nouit dominus viam iuſtorũ, & iter im- 1
piorum &c. 127
De impiorum hominum aduerſum pios 2
conſpiratione. 177
Diſrũpamus à nobis vincula eorũ &c. 237 2
Domine quid multiplicati ſunt qui tribu- 3
lant me &c. 232
Filij hominum vſquequo graui corde &c. 4
389
Deus iudex iuſtus fortis & patiẽs &c. 402 7
Periit memoria eorum cum ſonitu. 147 9
Apparuerunt fontes aquarum & reuelata 18
ſunt fundamenta &c. 132
Quoniam tu illuminas lucernã meam. ibi. 18
Pones eos vt clybanum ignis in tempore 20
vultus tui. 60
Vota mea reddam in conſpectu timentiũ 22
eum. 272
Ego ſum vermis & non homo &c. 419 22
Ipſe ſuper maria fundauit eum, & ſuper 23
flumina &c 89
Pes meus ſtetit in directo. 267 25
Vultus domini ſuper faciẽtes mala vt per- 33
dat de terra &c. 60

35 Fiant viæ illorum tenebræ. 139
35 Non veniat mihi pes ſuperbiæ. 267
36 Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum &c. 221
43 Vbi conqueritur Chriſtus ſe poſitum eſſe capitis commotionem in populis. 419
50 Libera me de ſanguinibus &c. 382
56 Ea quæ de ſpinarum ſimilitudine & aliis etiam ſimilitudinibus dicit, quibus impiorum hominum exitia declarat. 185
67 Confringet Deus capita inimicorum ſuorum, verticem &c. 225
68 Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ &c. 367
70 Confitebor tibi in vaſis pſalmi veritatem tuam Deus. 358
82 Vineam de Aegypto tranſtuliſti: eieciſti gentes &c. 292
76 Vouete & reddite domino Deo veſtro omnes qui in circuitu &c. 273
82 Inimici Domini mentiti ſunt ei. 389
104 Qui facit angelos ſuos ſpiritus &c. 306
110 Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Syon &c. 239
112 Exortum eſt in tenebris lumen rectis &c.
113 Mare vidit & fugit &c. 93
113 Montes exultauerunt vt arietes &c. 100
Qui

Qui cõfidunt in domino ſicut mons Syon 124
&c. 267
Diſpereat de terra memoria eorum. 147 133
Ab alienis parce ſeruo tuo. 207 133
Domine probaſti me & cognouiſti me 138
&c. 174
Tange montes & fumigabunt. 98 143

Ex Prouerb.lib.

Vbi memoriam iuſti cum laudibus cele- 10
brandam dicit Salo. 146

Ex Eſaia.

Heu,quia vindicabor de hoſtibus meis. 1
79
Deſcendent fortes eius,& ſublimes, & læ- 3
tari ſoliti ad Deum. 312
Aſpiciemus ad terram & ecce tenebræ. 5
138
Væ qui coniungitis domum ad domum & 5
agrum agro copulatis. 326
Vidi dominum ſedentem ſuper ſolium ex 6
celſum &c. 44
In diebus illis radet dominus nouacula 7
conducta. 217
Succenſa eſt quaſi ignis impietas, vepres 9
& ſpinas vorabit. 184
Omnis violenta prædatio & veſtimẽtum 9
mixtum ſanguine. 384

10 Succendetur & deuorabitur ſpina eius. 185
11 Quàm ſpecioſi ſuper montes annunciantis & prædicantis pacem &c. 266
11 Habitabit lupus cum agno & pardus cum hædo accubabit. 370
13 Mandaui ſanctificatis meis. 20
16 Auferetur gloria Moab. 360
17 De ſpicarum arentium ſimilitudine. 191
23 Si igitur interrogauerit te populus iſte vel ſacerdos, dicens, quod eſt onus domini &c. 16
26 Iuſti homines viam iudiciorum Dei ſpectant. 84
28 Manda remāda, expecta reexpecta &c. 20
40 Omnis mons & collis humiliabitur. 98
52 Quàm ſpecioſi ſuper montes annunciantis & prædicantis pacem &c. 266
66 De ſcabello pedum Domini. 83

Ex Hieremia.

1 De vigilanti virga & olla feruenti. 30
2 Sub alis tuis inuentus eſt ſanguis. 383
13 Poſside tibi lumbare, & pones illud ſuper lumbos tuos. 281
15 Tranſire te faciam in gentem. 227
22 Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ & foderunt ſibi diſsipatas ciſternas. 344
30 Omnis viri manus ſuper lumbos eius. 366

Filia

Filia Babylonis quaſi area tempus trituræ 51
eius. 193

Ex Threnorum lib.

Gaude & lætare filia Edon quæ habitas 4
in terra Hus, nam ad te perueniet calix
Domini &c. 427

Ex Ezechiele.

Quid nomine ardentis ignis & in imagine 1
inuoluti ſignificaretur. 116
De viſione qua cœlum apertum & ani- 6
mantia plena oculis videbat. 44
Quid eſt iſtud quod inter vos iactatis pro- 18
uerbium, dicentes, Patres noſtri come-
derunt vuam acerbam &c. 208

Ex Daniele.

De Rege Balthaſaro articulos ſcribentis 5
manus aduerſo in pariete vidente. 38
Mane Thethel Phares. 197 5

Ex Oſea.

Ego tranſij ſuper bonum collum eius. 229 10

Ex Iohele.

Adhuc modicum & ego mouebo cœlum.
20

Ex Abachuc.

Quare non reſpicis ſuper iniquè agentes 1
& taces deuorãte impio iuſtiorẽ ſe &c.
348.

Aſpexit

Mendacij plena Niniues. fo.385
Mendacij nomine quid diuina ſcrip.explicet. fo.ibid.
Miles captiuus ductus eſt, quid apud Na. fo.330.
Motus quibus incitantur animi ad cienda corpora, quot ſint. fo.173
Montium & collium mentio quàm frequens ſit in diuina ſcript. fo.266
NIniues aquarũ piſcinæ ſimilis. fo.340
Niniues, leonum habitaculũ. f.377
Nomen in arcanis literis, quid. fo.101
Nomen apud Latinos quomodo vſurpatur. fo.ibid.
Non ſeminabitur ex nomine tuo &c. quid Na. fo.252
OLlæ feruentis veſtigia in cinere confundito, ex Pythagora. fo.32
Ollæ nigredini facies Aſſyriorum aſsimilat. fo.367
Onus in ſacris literis quid. fo.1
Oneris nomen quouſque durauerit. fo.21
Onus Niniues & onus ad Niniuem plurimum inter ſe differunt. fo.22
PEdis nomen variè vſurpatur in ſacris literis. fo.267
Phidias ſtatuarius. fo.359
Portæ

Portæ fluuiorum apertæ ſunt &c. fo.319
Populum ſyncera fidei diuina ſcriptura virginem vocat. fo.407
Præcipiet ſuper te dominus. fo.244
Præceptũ de baptizandis hominibus quomodo à quibuſdam accipiatur. fo.248
Principum ſcelera graues clades in remp. intuliſſe frequenter legitur. fo.203
Principes, dracones & vrſos diuina ſcript. appellat. fo.373
Prophetia quando onus appellari cœpit. fo.2
Prophetæ circa quid potiſsimum verſentur. fo.2
Prophetæ in hiſtoria, quid. ibid.
Prophetæ circa oratoriam, quid. ibi.
Prophetarum lectio incredibili contentione cum ipſa vtilitate certat. 3
Prophetæ cur alij maiores, alij verò minores dicantur. 3
Prophetæ tã maiores quàm minores quo munere fungantur. 34
Prophetæ cum ab onere exordium ſcribẽdi ducunt, non eandem ſemper ſeruant legem loquendi. fo.24
Prophetæ quænam Dei opera frequẽtius commemorare conſueuerunt. fo.283

Prophetæ quando vtuntur his vocibus. Hæc dicit dominus, Hoc eſt verbum domini, & quia dominus loquutus eſt &c.
Prophetæ non in humilia oppida, ſed in vrbes magnas & opulentas grauem aliquam prophetiam ſemper denotabant. fo.319
Puluis diuinorum pedum quid. 83
QVid cogitatis contra dominũ, quid. fo.173
Quis conſiſtet à furore naſi illius. fo.110
REcordabitur fortium ſuorũ &c. f.311
Renibus omnem doloris ſenſum diuina ſcriptura aſsimilat. 365
Renum ſiue lumborum nomine. fo.366
Reuelare pudenda. fo.412
SAnguinis appellatione, quid diuina ſcript. fo.381.382.383
Sanguinũ ciuitas Niniues cur dicatur. 383
Sciendi ſiue agnoſcendi verbo, quid diuina ſcrip. fo.123
Scientia ſeu cognitio diuinæ mẽtis prima eſt ſanctorum radix. fo.124
Sepulchra cuius rei gratia fuerint inuenta. fo.257.258
Sepulchrorum ratio apud omnes nationes qualis fuerit. fo.256
Sepe

Sepeliendi cura quàm magna fuerit apud Hebræos. fo.259
Signa & prodigia in monte Syna conſpecta quid. fo.104
Similitudinum vſus ad res aperiendas qualis ſit in ſacris literis. fo.182
Sodomorum excidium quo pacto prophetæ vſurpant. fo.111
Spinæ complicatæ quid apud Na. 188
Spicarum arentium metaphora. fo.191
Superbiæ Iacob & Iſraelis nomine, quid Na. fo.283
Sybæ conſpiratio. fo.206
TEmpeſtas & turbo quid apud Na. f.85
Tenebrarum appellatione quid ſacra ſcrip. fo.138
Tenebrarum ratio quotuplex. fo.139
Tenebrarum proſequẽtium nomine, quid Na. fo.147
Theſauri ratio varia eſt in ſacris literis. fo.354
Tondendi metaphora frequens eſt in diuina ſcriptura. fo.217
Tondendi verbo quid Na. fo.219
Tonſio luctuoſa apud gentes quid. fo.224
Tonſio capitis qua ratione ab eccleſia fuerit admiſſa. fo.227

Tranſeundi verbo,quid Na. fo.229
Tranſeundi verbum Deo qua ratione tribui poteſt. fo.ibid.
VAſtatorum & propaginum nomen, quid Na. fo.292
Vaſorum nomine apud eũdem,quid.f.357
Vaſtata eſt Niniues &c. fo.418
Verbo mandandi,præcipiendi,expectandi,& aduerbio modicum quid Prophetæ ſignificarint. fo.20.21
Vendidit gentes in fornicationibus ſuis &c.quid Na. fo.412
Vindicta & caſtigatio diuina non vna tantum ratione fit. fo.183
Vincula diſrumpere quid apud Na. f.234
Vineæ metaphora. fo.291
Virgæ appellatio quot modis in ſacra ſcriptura ſumatur. fo.239
Virgam conterere,quid Na. fo.ibid.
Virgines appellantur in diuinis literis qui Dei verbum obſeruant. fo.410
Virgæ nomine quid ſacra ſcrip. fo.30
Viſionis librum ob quam cauſam totum ſuum opus nuncuparet Na. fo.23
Viſiones prophetæ propria vaticinia appellauere. fo.24
Viſio prophetica maximam habet affinitatem

tatem cum oculorum operationibus. fo.27.28
Viſionis ratio apud prophetas varia eſt ac diuerſa. fo.29
Viſionem propheticam animus hominis duplici ratione poteſt obtinere. fo.40
Viſitationis, vltionis, trituræ ſiue meſsionis tempus quo pacto accipiat diuina ſcrip. fo.193
Vota pro orationibus. fo.273

INDEX LOCORVM QVI AB autore ex ſacris Biblijs obiter explicantur.

Ex Gene.

EA quæ de mundi diluuio Moſes re- 5
fert. fo.129
Quid ſpiritus Domini ibi ſignificet. 94 8
Decubuiſti vt leo & quaſi leæna, & quis 49
excitabit eum? 370

Ex Exodo.

De rubo ardenti figura. 115 3
Non aſſumes nomen Dei tui in vanum. 18 20
Mea eſt vltio & ego retribuam. 139 32

** 4

33 Mentientur inimici tui &c. 391
34 Zelotes nomẽ eius. Deus eſt æmulator. 50

Ex Deuterono.

4 Deus noſter ignis conſumens. Deus eſt æmulator. 50
18 Dabit tibi dominus cor pauidum & deficientes oculos. 305
20 Si exieris ad bellum contra hoſtes tuos & videris equitatus & currus &c. ibid.
28 Percutiet te dominus amentia & cæcitate 139

Ex 1. Regum lib.

1. Re.8 Hoc erit ius Regis qui regnabit ſuper vos, filios veſtros &c. 375
2.R.7 De auricula Dauid ſibi à Deo reuelata. 33
7 Annunciabit tibi dominus quòd ſit tibi facturus domum. 252
23 Præuaricatores aut quaſi ſpinæ euellentur. 189
24 De ieiunio & lachrymis Dauid propter adulterium Berſabæ. 204
3.R.17 Quæ fuerit cauſa ſiccitatis illius qua tota regio Palæſtina fuit abſumpta. 96
4.R.18 Bellum Senacherib. 124

Ex Iob.

16 Si vos eſſetis vbi ego ſum, ego ſanè ſuper vos caput mouerem. 421

Vene

Venerunt ad Iob omnes fratres & ſorores 42
& omnes qui antea cognouerũt &c.420

Ex Dauid.

Nouit dominus viam iuſtorũ, & iter im- 1
piorum &c. 127
De impiorum hominum aduerſum pios 2
conſpiratione. 177
Diſrũpamus à nobis vincula eorũ &c. 237 2
Domine quid multiplicati ſunt qui tribu- 3
lant me &c. 232
Filij hominum vſquequo graui corde &c. 4
389
Deus iudex iuſtus fortis & patiẽs &c. 402 7
Periit memoria eorum cum ſonitu. 147 9
Apparuerunt fontes aquarum & reuelata 18
ſunt fundamenta &c. 132
Quoniam tu illuminas lucernã meam. ibi. 18
Pones eos vt clybanum ignis in tempore 20
vultus tui. 60
Vota mea reddam in conſpectu timentiũ 22
eum. 272
Ego ſum vermis & non homo &c. 419 22
Ipſe ſuper maria fundauit eum, & ſuper 23
flumina &c 89
Pes meus ſtetit in directo. 267 25
Vultus domini ſuper faciẽtes mala vt per- 33
dat de terra &c. 60

35 Fiant viæ illorum tenebræ. 139
35 Non veniat mihi pes ſuperbiæ. 267
36 Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum &c. 221
43 Vbi conqueritur Chriſtus ſe poſitum eſſe capitis commotionem in populis. 419
50 Libera me de ſanguinibus &c. 382
56 Ea quæ de ſpinarum ſimilitudine & aliis etiam ſimilitudinibus dicit, quibus impiorum hominum exitia declarat. 185
67 Confringet Deus capita inimicorum ſuorum, verticem &c. 225
68 Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ &c. 367
70 Confitebor tibi in vaſis pſalmi veritatem tuam Deus. 358
82 Vineam de Aegypto tranſtuliſti: eieciſti gentes &c. 292
76 Vouete & reddite domino Deo veſtro omnes qui in circuitu &c. 273
82 Inimici Domini mentiti ſunt ei. 389
104 Qui facit angelos ſuos ſpiritus &c. 306
110 Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Syon &c. 239
112 Exortum eſt in tenebris lumen rectis &c.
113 Mare vidit & fugit &c. 93
113 Montes exultauerunt vt arietes &c. 100

Qui

Qui cõfidunt in domino ſicut mons Syon 124
&c. 267
Diſpereat de terra memoria eorum. 147 133
Ab alienis parce ſeruo tuo. 207 133
Domine probaſti me & cognouiſti me 138
&c. 174
Tange montes & fumigabunt. 98 143

Ex Prouerb.lib.

Vbi memoriam iuſti cum laudibus cele- 10
brandam dicit Salo. 146

Ex Eſaia.

Heu, quia vindicabor de hoſtibus meis. 1
79
Deſcendent fortes eius, & ſublimes, & læ- 3
tari ſoliti ad Deum. 312
Aſpiciemus ad terram & ecce tenebræ. 5
138
Væ qui coniungitis domum ad domum & 5
agrum agro copulatis. 326
Vidi dominum ſedentem ſuper ſolium ex 6
celſum &c. 44
In diebus illis radet dominus nouacula 7
conducta. 217
Succenſa eſt quaſi ignis impietas, vepres 9
& ſpinas vorabit. 184
Omnis violenta prædatio & veſtimẽtum 9
mixtum ſanguine. 384

Succen

10 Succendetur & deuorabitur ſpina eius. 185
11 Quàm ſpecioſi ſuper montes annunciantis & prædicantis pacem &c. 266
11 Habitabit lupus cum agno & pardus cum hædo accubabit. 370
13 Mandaui ſanctificatis meis. 20
16 Auferetur gloria Moab. 360
17 De ſpicarum arentium ſimilitudine. 191
23 Si igitur interrogauerit te populus iſte vel ſacerdos, dicens, quod eſt onus domini &c. 16
26 Iuſti homines viam iudiciorum Dei ſpectant. 84
28 Manda remāda, expecta reexpecta &c. 20
40 Omnis mons & collis humiliabitur. 98
52 Quàm ſpecioſi ſuper montes annunciantis & prædicantis pacem &c. 266
66 De ſcabello pedum Domini. 83

Ex Hieremia.

1 De vigilanti virga & olla feruenti. 30
2 Sub alis tuis inuentus eſt ſanguis. 383
13 Poſside tibi lumbare, & pones illud ſuper lumbos tuos. 281
15 Tranſire te faciam in gentem. 227
22 Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ & foderunt ſibi diſsipatas ciſternas. 344
30 Omnis viri manus ſuper lumbos eius. 366

Filia

Filia Babylonis quaſi area tempus trituræ 51
eius. 193
Ex Threnorum lib.
Gaude & lætare filia Edon quæ habitas 4
in terra Hus,nam ad te perueniet calix
Domini &c. 427
Ex Ezechiele.
Quid nomine ardentis ignis & in imagine 1
inuoluti ſignificaretur. 116
De viſione qua cœlum apertum & ani- 6
mantia plena oculis videbat. 44
Quid eſt iſtud quod inter vos iactatis pro- 18
uerbium,dicentes, Patres noſtri come-
derunt vuam acerbam &c. 208
Ex Daniele.
De Rege Balthaſaro articulos ſcribentis 5
manus aduerſo in pariete vidente. 38
Mane Thethel Phares. 197 5
Ex Oſea.
Ego tranſij ſuper bonum collum eius. 229 10
Ex Iohele.
Adhuc modicum & ego mouebo cœlum.
20
Ex Abachuc.
Quare non reſpicis ſuper iniquè agentes 1
& taces deuorãte impio iuſtiorẽ ſe &c.
348.

Aſpexit

3 Aſpexit & diſſoluit gẽtes,& contriti ſunt montes ſeculi. 97

Ex Euang. Matthæi.

9 Quid cogitatis mali in cordibus veſtris? 167

14 De Herodia fœmina. 197

22 De nuptiarum parabola. 140

Ex Luca.

1 Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. 325

13 De turri Syloe. 81

Ex Ioanne.

7 Qui non ex ſanguinibus &c. 381

12 Niſi granum frumẽti cadens in terra mortuum fuerit, ipſum ſolum manebit. 252

Ad Ro. *Ex Pau.*

1 Non ego erubeſco euangelium &c. 239

2 Gloria & honor & pax omni operanti bonum. 360

2 Theſaurizas tibi iram in die irę & reuelationis iuſti iudicij Dei. 113

8 Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore. 105

1. ad Corin. 14 Quicunque reuelationem habet videt & intelliget. 33

Ad Ephe. 6 State ſuccinti lumbos veſtros in veritate. 280

In

In quo inhabitat omnis plenitudo diui- 3 Ad
nitatis corporaliter. 36 Coloſ.

Ex actis.

De viſione Petri qua linteum omnige- 10
nis animantibus refertum videbat. 33
Macta & manduca. 39 10

Ex Petro Apoſtolo. 2.Can.

Nouit dominus pios homines de tenta- 2
tione eripere, 123
Originali mundo non pepercit, ſed octa- 2
uum Noe &c. 134

DISPVTATIONES quæ hoc volumine continentur.

De onere prophetico. 11
De viſione prophetica. 23
De appellationibus diuinis. 52
De miraculis Chriſti. 100.101
De vaticinio Nahum. 120
De tenebrarum appellatione in ſacris literis frequenter vſurpata. 141
De peccatorum redditu. 148
De caſtigatione inferiorum propter maiorum ſcelera. 202

FINIS.

CYPRIANI MONACHI CISTERCIENSIS, AD PIVM LECTOREM

PRAEFATIO.

INTER cæteras Diuinæ ſcripturæ parteis, quæ ante fœlicẽ Chriſti Ieſu aduentũ, ſingulari numinis beneficio inſtituendis hominibus excogitatæ fuerunt, & inuentæ, nulla eſt, Chriſtiane lector, quæ plus aut difficultatis, aut vtilitatis habeat, quàm ea quæ vaticinia cõtinet, prædictionéſque prophetarũ. Diuina enim natura conſultrix, & prouida vtilitatum noſtrarũ, cum in eam rem hominem finxiſſet, vt virtutis amore, & honeſti admiratione detineretur, eos omni tempore, atque ætate magiſtros illi præfecit, quorum doctrina, atque conſiliis magna ad bene beatéque viuendũ

emolumenta conſequeretur. Inter eos autẽ quos Dei populus antiquitùs conſultores habuit, & ducis pietatis ſectãdæ: ſancti prophetæ principem ſemper locum autoritatémque tenuêre. Fuerunt enim vt illorum teſtantur volumina, feruore ſpiritus, vitæ pietate, rerum peritia, conſtantia animi, eloquentia denique & facultate dicendi illuſtres ac prorſum mirabiles. Omnis verò quę eſt apud prophetas tradẽdæ doctrinæ ratio, tribus partibus poſita eſt, vt eſt à ſapiẽtibus viris diligenter obſeruatum, hiſtoria videlicet oratoria, atque vaticinio. In hiſtoria nõ tantùm antiquitatem commemorant, aut temporum monumenta, locorum, hominũ, rerúmq; geſtarũ, vt prophani ſolẽt ſcriptores, ſed & exempla æquitatis, conſummatæ iuſtitiæ, vitæ optimæ, fidei, atque virtutum omnium, imitanda proponunt. In orationibus autem: ad virtutem mortales ſemper excitant & acuunt, hortantur, dehortantur, conſolantur nonnunquam, genus omne flagitij inſectantur acerrimè, idolorum cultũ, ſcelus perfidiæ, fallacias, & præſtigias hominum, expilationes pauperum & oppreſsiones, maximè verò neglectum atque cõtemptionem Diuinæ legis. Docent interdũ quale ſit

le ſit Dei ingenium,quæ eius voluntas,quid in nobis potiſsimum ſpectet,quibus rationibus illius voluntati humana omnia ſtudia ſint accommodanda. Sed & ad pœnitētiam vocant omnibus modis , & ad excitandam hominum oſcitantiam & ſocordiam : iram Dei minantur,& grauiſsima in nefarios homines intentant ſupplicia, vt eos à flagitio & perdita vita reuocent.Ad erigendos præterea labantes animos,& deſperationi proximos Diuinas promiſsiones, & antiqua in electos homines beneficia,quibus exuberātem ſuam bonitatem declarabat, proponūt. Inter promiſsiones verò illam cumprimis ſuis oraculis illuſtrare ſolēt,in quam omnia penè vaticinia potiſsimùm ſpectāt, quæ Dei filium plena voce in remedium antiqui vulneris,humana carne amictū,& noſtræ mortalitati innexum,mortalium generi pollicebatur.Erit proinde prophetarum lectio nobis & accommodata & vtilis , omnibúſque modis per ſe magnifica & ſalutaris. Nā quis credat mortalibus non ſemper ex vſu fore: eos autores euoluere diligenter,qui cū præcones eſſent Diuinæ maieſtatis,& correctores prauitatis humanæ , nihil ad vtilitates ſuas retulêre vnquam , omnia noſtri cauſa

facientes, adeò vt cogitationes ſuas, & quæ cœlitus accepiſſent oracula, ad æternã memoriam Diuinis literis conſignata reliquerint? Conſequêre fortaſſe (eorum quos deluſa Gentilitas habuit inſignes oratores) aſsidua lectione, liberam aliquam animi oblectationẽ: ſolatia autem illa, & interni hominis ſuſtentationes, quas Pau. fructus ſpiritus appellat, nunquam (crede mihi) conſequêre. Nemo profectò (niſi planè demens) illorum lectionem, vel moleſtias animi pellere, vel à ſceleribus referre pedem, vel ad virtutem regreſſum facere poſſe credat, qui cum cogitationes ſuas literis committerẽt, propriis ſemper ſtudebant commodis, in quæſtus cupiditatem, & inanis gloriæ ardens deſideriũ incitati. Et tum maximè cum de contemnẽda gloria ſcriberent: in eo ipſo quò prædicationem nobilitatémque deſpicere videbantur, prædicari ſe ac nominari vehemẽter cupiebant. Sancti verò prophetæ, ita delegato ſibi officio, à ſummo Deo, functi ſunt, vt relictis omnibus ad tutelam vitæ neceſſariis, non modò in futurum, ſed neque in diem quidem laborarent, contenti extemporali cibo, quem natura illis ſuppeditaret. Quæſtum autem aut emolumenta propria, aut nominis

nominis celebritatem, populares ventos, cęteráque huius generis, quæ externæ philoſophiæ cultores mirabantur, adeò ſectati nō ſunt, vt pro oblato cæteris hominibus officio, cruces tantùm & labores incredibiles, contumelias, infamiam, dedecúſque omne reportarent. Nihil ergo aliud quærebāt homines, à quibus abfuit ſtudium lucri, amplitudinis, & gloriæ, cuius vehementi cupiditate ducuntur mortales, à quibus abfuit peccandi voluntas, omníſque cauſa fallendi, quàm vtilitates noſtras & commoda ad celebritatem & gloriam diuini nominis accōmodata. Sed certat difficultas propheticæ lectionis cum vtilitate ipſa, incredibili contentione. Nam quamuis quæ à ſanctis prophetis in rem noſtram diuini ſpiritus incitatione fuerunt excogitata, ſanctè circunſpectéque dicantur, nunquam tamen (vt ego iudico) in literis ſacris aut breuiùs, aut cōciſiùs, aut maiori traduntur obſcuratione. Latent enim, & quaſi incluſæ in abdito, abſconditæ ſunt propter vetuſtatem innumeræ hiſtoriæ, de quibus apud ſanctos prophetas fit mentio, indoles moréſque hominum & affectus penitùs ignorantur, locorum ingenia, temporum ratio, vitæ vſus atque inſtrumē-

ta prorſum neſciuntur. Ob eámq; rem, cùm in multis locis diuinandum ſit, fit neceſſariò vt rem ipſam non adſequamur, aut non adſequamur pari fœlicitate. Veruntamen non ſtatim animus deſpondendus eſt, quanuis prophetarum lectio multis ſit obſtructa difficultatibus, obſcuritatibúſque inuoluta. Naſcitur enim ab ipſa rei difficultate noua quędam opportunitas. Primò quòd ſcripturarum maieſtatem hinc agnoſcimus, & veneramur, vtpote quàm nulla hominum ingenia, omni etiam adhibita cura, attentione animi, vigilantia, atque labore, conſequi poſſint. Habemus deinde linguæ ſanctæ perdiſcendæ incitamenta maxima, vt ſacros vates propria lingua loquentes intelligamus. Nam ab ipſa Hebræi ſermonis vetuſtate naſcitur obſcuritas incredibilis. Ingeruntur præterea noſtris animis ſtimuli, quibus noctes & dies vehementer cõcitamur, ad euoluendos eos autores, non qui prophetarum oracula naſum faciant in omnia ſequacem, ſed probatos & eruditos. Itaque ſumma illa difficultas labórque inſuperabilis intelligendi ſacros vates, diſertam negligentiam noſtram reddere poſſunt. Quibus autem ea quæ diximus conceſſa non fuerint: nihil tamen

men habebunt,quod de lectionis difficultate querantur. Sic nanque ſaluti noſtræ diuina bonitas conſuluit, vt nullus ſit qui ex prophetarum oraculis (modò adſit fides, atque vnicus animorum formator ſpiritus) non ſic queat inſtitui vt ſit, ἄρτιος,id eſt,integer,perfectus,& ad omnia pietatis opera plenè inſtructus. Denique vt neſciat multa de ingenio & ſitu terræ Chanaan, de dictis factiſq; Iſraëlis,de moribus vicinarũ gentiũ, quæ in prophetis occurrunt,& citra pietatis iacturam ignorari poſſunt. Nouit tamen Deum ſuum quo pacto meritam illi gratiã iuſtis honoribus, & memori mente perſoluat,qua ratione illum ſemper puro, integro & incorrupto animo, & voce veneretur. Porrò quibus otium eſt, quibus ingenij facultas,quibus docendi alios,à ſummo imperatore Deo cõmiſſa prouincia, hos par eſt: ſancta Dei oracula ſumma animi intentione, & veſtigatione religioſa habere explorata:neque diuinum Spiritũ ſemper per tam varia interpretum ora, audire loquentem, ſed ſuperata potius Hebræi ſermonis difficultate, ipſum poſſe aliquando ſua lingua docentem percipere. Fuerunt autem apud priſcum illud ſeculum, mediæque æta-

tis homines,clariſsimi vates, quos Videntes appellabat antiquitas, quorum ſcripta ad nos ex integro non peruenêre,niſi quatenus illorum (non orationes, aut commentationes) ſed dicta quędam aut facta,ſacris literis, non ſine magno Numinis beneficio, commiſſa ſunt. Accepimus tamen orationes aliquot maximè illuſtrium prophetarum,veluti per manus, quas ad erudiendos mortales,de vero iuſtitiæ ac pietatis cultu, ſummi Dei prouidentia, ab iniuria temporum, & interitu vindicauit,quorum alios minores, alios verò maiores,recepta iam,& quaſi inueterata conſuetudine appellamus. Non vt imperiti exiſtimant,quòd horum argumenta ſint exilia,aut ſpiritu,aut eruditione, ſint inferiores, ſi cum maioribus componantur, ſed quòd minorum orationes ſint contractiores multò. Habet tamen eorum breuitas laudem,& dignitatem, & verborum, iuxta ſuſcepta ab illis argumenta, quantum ſat eſt.Omnes autē & qui maiores prophetæ appellantur,& qui minorum nomine cenſentur, inter Deum & homines, fœderum, pacis, belli, induciarum, oratores fuêre, & & quaſi feciales. Per eos enim fiebat, vt iuſtum Deus in homines bellum ſuſciperet,

apud

apud quem magna ſemper fuit obſeruatio, à condito orbe, in commouendo bello, aut concitandis armis, aduerſus mortales. Neq; vnquam, vt literis arcanis proditum legimus, bella non dico acria & magna, ſed neque exigua quidem, aut geſsit, aut confecit, quin multò anteà tempore per ſacros vates, & pacem & arma improbis & ſceleratis offerret. Itaque vt florente Romanorum imperio cum omnibus gentibus bella inferrēt, Feciales erant, qui ad res petēdas mitterentur ex munere: quas ſi minùs obtinuiſſent, bellum indicebant diuturnum, & graue, ita etiam & Ionam, à ſummo imperatore Deo, miſſum aliquādo legimus ad ampliſsimam Niniues ciuitatem (totius Regni Aſſyriorū metropolim) vt debitas ab illa vſuras iuſtitiæ, innocentiæ, atque integritatis exigeret. Quæ cùm Ionas obtinuiſſet, vt illius vaticinia apertè declarant, conceptas animo inimicitias, & quaſi odium exitiale, in viros Niniuitas depoſuit, illorum pœnitentia flexus. Cùm autem propter inueteratam peccandi conſuetudinem, quæ Aſſyriorum animis penitùs inhęſerat, & ſummam rerum omnium abundantiam, quæ ad perfruendas voluptates, inflammare ſolet mortaliū animos, Ni-

niues ciuitas ad antiqua flagitia relaberetur, ſanctum prophetam Nahum, tãquam alterum Fecialem mittit. De cuius legatione toto hoc volumine diſſerere conſiliũ eſt. Perorauit autem aduerſus Aſſyriorum regnũ, imperante apud Iudæos Ezechia: & quaſi Feciales literas Niniuitis deferat, oſtendit à ſummo imperatore Deo, quaſi æternum bellum, magnum, & periculoſum aduerſus improbos iam eſſe ſuſceptum. Illud interim diligenter declarans, quàm ſit potens Deus ille Niniuitarũ hoſtis, quibus prætereà ex cauſis, vrbem vetuſtiſsimam, & ampliſsimum Aſſyriorum regnũ, tanta mole fundatum, delere funditus decreuerit.

ONVS

ONVS NINIVE, LIBER VISIONIS NAHVM ELCAESEI.

ANTEA quàm de totius operis titulo dicere inſtituo, pauca quædam de prima huius vocis ONVS, inuẽtione, & origine, ſunt explicanda, à noſtro inſtituto minimè aliena. Quanuis enim ſacri omnes prophetæ, quorum vaticinia Spiritus ille cœleſtis, ſacris literis conſignata voluit, eam vocem (non ſine magno iudicio) frequenter vſurparint, incertum tamen quando hoc loquendi tropo, pari conſenſu, & ſermone crebro, & vulgato, vti cœperunt. Nã ſi ſanctarum ſcripturarum antiqua monumenta diligentiùs repetas, nunquam (vt arbitror) ante tempora Eſaiæ, quempiam inuenias, qui prædictionibus propheticis, & rerum futurarum oraculis, eam vocem inſerue

ſeruerit. Nemo qui ſanctorum prophetarũ oracula, vel à limine (quod aiunt) ſalutarit, ignorat, ONVS, graue & acerbũ vaticinium, triſte & infauſtum, ſignificare. Vnde apud Eſaiã, Onus Babylonis, onus Moab, onus Damaſci. Et ſanctus propheta Abachuc ſcribendi exordium ab onere duxit, dicens, Onus quod vidit Abachuc &c. Quæ cum ita habeant, mirandum ſanè mihi videtur, cum ab orbe condito, prophetiæ & rerũ futurarum præſenſiones, nunquam defuerint, neque grauiores comminationes diuinæ, ad coercendam hominum perditorum temeritatem, & reprimendos conatus: quid fuerit cauſæ quòd ante ſeculum, illud quo Eſaias, Hieremias, cæteríque vates maximè illuſtres floruêre, nulla vnquã ONERIS facta fuerit mẽtio. Prædixit aliquãdo Deus, ſancto viro Noe (ſuis temporibus admirabili) venturum totius orbis excidium, poſt centum vinginti annos, aquis diluuij exundantibus. Neque enim ſententia illa probari mihi potuit vnquam (quæ multorum eſt opinione poſita) præſcripta, eo loco, humanæ vitæ curricula, & limites anguſtiſsimos, cẽtum viginti annorum. Vt enim donemus libenter exiſtimationem illam: totam anti-
quitùs

quitùs Græciã oppleuiſſe, & viros magnos egregiéque doctos habuiſſe patronos, Chryſoſtomum Theodorum, Ioſephum, & inter Latinos Lactantium: nihil tamen in illa video probabile. Cui enim obſcurum eſſe poſſit, vniuerſam illam ſeriem, quæ à filiis Noe ducta fuit numeroſè, vixiſſe vltra centum viginti annos, & ſanctum patriarchã Abraham, lõgo etiam interuallo ſuperauiſſe? Acceſsit enim ad centeſimum quinquageſsimũ quintum annum. Vnde Auenezra inter Hebræos doctiſsimus, multis verbis redarguit illorum ſententiam, qui exiſtimauêre, eo loco finẽ humanæ vitæ præſcribi. Chaldæus præterea paraphraſtes, idem prænuntiat. Neque ſecus Kabaliſtæ, qui ea præclara ſynodo, cuius princeps fuit Eſdras, diuerſa edidêre volumina. Quare res, vt mihi videtur, non eſt opinione dubia, ſed in præſentia & ante oculos poſita: prædictionem illam graue & acerbum fuiſſe venturæ cladis vaticinium, & ſpatium centum viginti annorum, pœnitentiæ, & impiorum hominum conuerſioni, fuiſſe conceſſum. Cum igitur, inter cæteras prædictiones, nulla fuerit, aut triſtior, aut infauſta magis, mirum ſanè videri debeat, nullum penitus eo loco factam

fuiſſe

ſuiſſe de ONERE mentionem. Quid quod Moſes prophetarum præſtantiſsimus, qui frequenter in Aegyptios, infœliciſsima extulit vaticinia, & inauditas, vſque ad tempus illud clades, & afflictiones denuntiabat, nunquam oneris meminit, ſed dicendi exordium ab eis verbis (aliis prophetis familiaribus) ſemper ſumebat. Hæc dicit Dominus &c. Et tandem quoniam immenſum eſſet ſingula perſequi, quæ ad rem firmandã ſuppetunt teſtimonia, primum omnium legimus Eſaiam prophetam hac voce מַשָּׂא ea ſignificatione vſum, pro infauſto, triſtíque vaticinio, cum dixit, ONVS Babylonis, quod vidit Eſaias filius Amos, &c. Poſt quẽ cæteri vates prophetias ſuas, onera etiam appellauêre frequenter. Ardua proinde ac difficilis quæſtio illa eſt à nobis propoſita, paucis hactenus quæſita, à nullo penè explicata. Igitur cum antiqui vates populum Iſraëliticum frequenter corriperent, irámque diuinam iamiam impendentem ſæpe minarentur, ex Diuino mandato, quemadmodum bonos & optimos concionatores decet (eſt enim virtutibus inſita amaritudo quædam, vitia voluptate condîta ſunt: atque ita fit vt illa offenſi, hac deliniti homines ferantur in

præ

præceps,niſi verbi Diuini promulgatione in officio retineantur) cœpit in ore vulgi, & communi prouerbio verſari, vt grauior omnis prophetia, onus appellaretur, nec ſine irriſione, ac ſi Hiſpanè dixeris, *carga de palos.* Nã cùm prophetæ ex more in illius populi impietates, & flagitia grauiter inueherentur,ita vt illorum increpationes acerbas æquo animo ferre non poſſent, in contemptum Diuini verbi,quaſi indignabundus dicebat.In nos perpetuò faba cuditur, & territamentis puerorum, grauem incutere terrorem inſani atque dementes ſtudẽt. Cúmque ex populo alter alterum interrogaret, quibus de rebus hodie concionatus eſt Eſaias,aut Hieremias? Reſpondebat ex more, non ſine magna Diuini verbi contemptione, ſolitum onus, acerba vt ſolet, triſtia & infauſta.Cúmque à ſanctis prophetis extorquere contenderent,quid in flatu Spiritus à Domino accepiſſent,eas ipſas reuelationes, & incitationes mentis propheticæ ONERA appellabant, dicentes, Quod eſt onus Domini?Quod ergo à popularibus hominibus,imò & primariis populi viris, ſæpe vſurpatum eſt, in prouerbij venit conſuetudinem ea ratione,vt ſancti prophetæ etiam:
vel

vel eadem cõſuetudine ducti, vel(quod ego potiùs arbitror) imitatione quadam, grauiores omnes prophetias, triſtes & horrendas, ONERA appellarent. Noua fortaſſe hęc noſtra ſententia, & inopinata alicui videbitur: Sed nos nõ tam rerum nouitas delectat, quàm veritatis inquiſitio. Libenter hæc dicta videri potuiſſent, niſi Hieremiæ prophetæ oraculum magnam his quæ diximus autoritatem tribueret. Eius verba (quòd res perobſcura ſit, longóque iaceat vetuſtatis receſſu) non grauabor ſubſcribere. Sic habet cap. 23. Si igitur interrogauerit te populus iſte, vel propheta, vel ſacerdos, dicens, Quod eſt onus Domini? viſitabo ſuper virum illum, & ſuper domum eius. Hæc dicetis vnuſquiſque ad proximum & ad fratrem ſuum, Quid reſpondit Dominus? & quid loquutus eſt Dominus? Et onus Domini vltrà non memorabitur, quia onus erit vnicuique ſermo ſuus, & peruertiſtis verba Dei viuentis. Hæc dices ad prophetam, Quid reſpondit tibi Dominus? & quid loquutus eſt Dominus? Si autem onus Domini dixeritis, propter hoc, hæc dixit Dominus. Quia dixiſtis ſermonem iſtum, onus Domini, & miſi ad vos dicẽs: Nolite dicere

cere Onus Domini, propterea ecce ego tollam vos portans,& proiiciam vos,&ciuitatem quam dedi vobis. Vt ergo paucis colligamus,ex oraculo Hieremiæ,quæ ad expediendam quæſtionem videntur accommodatiſsima:tantus erat temporibus Hieremiæ Diuini verbi contemptus, vt quaſi per ludum & irriſionem ONVS illud appellarent, non tantùm vulgares homines,ſed & qui aliorũ impiam audaciam, ex munere,ab omni debuiſſent arcêre progreſſu:vt ſacerdotes,viriq; in populo primarij. Grauiter proinde, atque indignè Deus Opt.Max.ferebat: eò dementiæ populum Iſraëliticum proceſsiſſe, vt Diuina oracula,& ſalutares prophetarum cohortationes,tãquam rem vulgarem, & vilem, oneris appellatione, vetuſto iam & trito ſermone dehoneſtaret. Ob eam enim rem, populum hortabatur,dicens,Onus Domini vltrà non memoretur in vobis. Fiet enim aliôqui, vt cuique ſermo ſuus oneri ſit. Stultos enim ſermones hos, impias & veſanas voces, ego grauiori aliqua pœna compeſcam: & digna tanto ſceleri ſupplicia inferam. Nam quid iniquius excogitari poſsit, quàm ſummi Dei oracula ita ver-

bis, & communi lacerare ſermone, vt in contemptũ & irriſionẽ, non verbũ Domini, ſed onus appelletur. Magna ergo diligẽtia cauendũ: verbũ Domini poſthac onus appelletis, alioqui tollã vos, & eiiciã de terra veſtra. Venuſtiſsima ſanè vocũ alluſione ſummus Deus ſtultorũ impudẽtiã cohibebat: מַשָּׂא enim & aſſumptionem, & eleuationem ſignificat Septuaginta vt autor eſt Hieron. pro מַשָּׂא λῆμμα, conſtanter vertunt, hoc eſt, geſtamẽ, portationem, onus, eleuationem. Ea metaphora Exo. 20. Moſes Iſraëliticam gentẽ à periculoſa iurandi conſuetudine cohibebat. Non aſſumes nomen Dei tui in vanum. Eleuamus enim & aſſumimus interdum, & ſupra verticem in argumentum ſummæ venerationis ea locamus, quæ magna ſunt apud nos æſtimatione. Eleuamus prætereà, ea quæ ſtatim ſunt abiiciẽda & proculcanda. Cũ ergo iureiurãdo quidpiã mortales affirmãt, Deus ipſe tanquam iudex & teſtis interponitur actionũ & cogitationũ: quæ ſumma eſt religionis ratio. Quòd ſi vel mẽdaciũ aliquis, vel rẽ nullius põderis (Deo in teſtẽ & iudicẽ producto) firmare velit: ipſo iureiurãdo quidem nomẽ Dei aſſumit, ſed cũ ex leuitate vel perfidia eleuat Diuinũ nomẽ, hu-

mi proiicit,& ad terrāveluti allidit. Ad inſtitutū ergo redeundo illuſtris proph. Hie. elegāti vocū alluſione vtebatur, cū grauē comminationē & ſuppliciū atrox in nefarios homines intētaret. Quoniā dicitis verbū Domini, מַשָּׂא, hoc eſt, aſſumptionē & eleuationē, ego וְנָשִׁ יתִי hoc eſt, eleuabo, aſſumā vos, nō vt honore afficiā, ſed vt ꝓiiciā à facie mea, hoc eſt, familiaritatē arctiori amicitia depellā. Magnus vtiq; lectionis fructus perierit, niſi linguæ ſanctæ, vel leui aliquo guſtu tangamur. Itaq; cū cōmunis illius gētis cōſuetudo nomēOneris pro grauiori quacūq; prophetia ſuſcepiſſet: eadem cōſuetudine, quæ vim naturæ habet, aut per Mimeſim potius, ſiue imitationē, infauſta oia vaticinia, onera appellabant. Quemadmodū enim Diuinū verbū apud impios & nefarios, ſannis interdū & ſcōmatis excipit, ita etiā & ſancti vates velut in vltionē ſceleris huius, impiorū verba ꝑ imitationē reddūt, vt illorū ſtultitiā & demētiā potētius exagitēt. Sanctus proph. Eſa. c. 28. figurato ſermone, nec ſine tropo, verba quædā frequēter repetebat, & inculcabat. Manda, remanda, manda, remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicū ibi. Sanè cum ſtultus ille

populus prophetas audiret concionantes, qui frequenter ſubinde verba mandandi, præcipiendi, expectandi inculcarent: puerorum inſtar, illorum ſermones non ſine magna contemptione pueriliter imitabantur. Eſa. 13. Mandaui ſanctificatis meis. Et 23. Dominus mãdauit aduerſus Chanaan. Et cum de Diuinis pollicitationibus agerent, verbo expectandi frequenter vtebantur. Abac. 2. Si morã fecerit expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Oſe. cap. 3. de eadem re. Diebus multis expecta. Cùm autem de breui aduentus Domini mora loquerentur, libenter inculcabant aduerbium מְעַט ſiue modicum. Apud prophetam Iohelem, Adhuc modicum & ego mouebo cœlum, &c. Cùm ergo prophetarum verba frequentius repetita, veſani atque dementes riderẽt & contemnerent, tanquã leuia eſſent & puerilia, & per imitationẽ, vt pueri ſolent, redderẽt. Sacer propheta Eſaias eadẽ imitatione, illorum ſtultitiam inſectabatur dicens: Ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus, quia mãda remanda, manda remanda, &c. Heu ſtultos, inquit, & perditos homines, qui tanquam nuper à materno complexu, & vberibus

auulſi,

auulſi; neque ex pueris aut infantibus exceſſerint, illorum more, ſemel accepta verba quaſi per ludum & irriſionē imitantur. Deinde verò grauiſsima illis ſupplicia minatur. Erit (inquit) vobis verbum Domini, Manda, remanda, &c. in ſubuerſionem, cæcitatem, & interitum. Eadem fortaſſe ratione, improborum hominum verba, & communi conſuetudine iactatum ſermonem, Mimeſi quadam (vt diximus) ſacri vates grauiorem omnem prophetiam, onus appellauere. Tantum verò vetus conſuetudo poteſt, communi hominum vita ſuſcepta, vt à tēporibus Hieremiæ, Eſaiæ, ad tempora vſque Chriſti Red. (vt quidā arbitrantur) mos ille loquendi durauerit. In Euangelio legimus Chriſtū R. Phariſæorum doctrinam, & grauiſsimam præceptorum ſarcinam, alienis humeris impoſitam, quam neque digito dignarētur attingere, ONERA appellauiſſe. Legem præterea Euangelicam, tametſi leuis ſit & portabilis, Onus appellauit, more gentis illius, dicens, Iugū meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Illud autem diligentius conſiderandum, quod à Diuo Hieronymo ſapienter ſatis fuit animaduerſum, Sanctos prophe-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

tas, cum ab onere ſcribendi exordium ducunt, non eandem ſemper ſeruare legem loquendi. Neque enim hac formula ſemper vtuntur, Onus Babylonis, Onus Damaſci. Nam Malachias propheta primo cap. in hunc modum exorſus eſt, Onus verbi Domini ad Iſraël. Cum ergo infauſtum aliquod vaticinium his verbis pronuntiant, quanuis prophetia grauis ſit, & magnopere reformidanda, plurimum tamen habet cõſolationis admixtũ. Quemadmodum enim iuxta Latini ſermonis proprietatem longè diuerſum ſit, in aliquem ſcribere, aut ſcribere ad aliquem (eſt enim in altero certiſsimum amicitiæ indicium, in altero verò inimicitiarum, & odij aperta confeſsio) non ſecus apud ſanctos prophetas, longè inter ſe ſunt diuerſæ hæ loquẽdi formulæ, Onus Niniues, & onus ad Niniuem. Demoſthenes ille Græcæ facundiæ parens, longè pulcherrimam orationem πρὸς λεπτίνην, id eſt, ad Leptinem intitulauit, non κατὰ λεπτίνης, hoc eſt, in Leptinem, quod pro Leptine potius quàm contra Leptinem ſcriberet. Itaque Nahum aduerſus Niniuem, totúmque Aſſyriorum regnum infauſtam

ac lamentabilem prophetiam ſcribens, non ad Niniuem, ſed contra Niniuem ſe ſcribere ſatis ſignificat, cum dixit, ONVS Niniue.

TOTVM autem vaticinium Librum viſionis appellat. Fuit enim vetus Hebrææ gentis conſuetudo, ab antiquis iam inde ducta temporibus, exordium ſcribendi à titulo totius operis ducere: id quod ſancto prophetæ Nahum cum cæteris vatibus, videmus eſſe commune. Qui omnes penè, more & quaſi inſtituto ſuæ gentis, eandem exordiendi rationem ſuis ſcriptis conſtanter ſeruauere. Quæ res quoniam celebris eſt, multiſque ſcripturarum exemplis notiſsima, & in Apocalypſi Ioannis de re iſta acuratius multò diſputauimus, diutius de ea dicere non debemus. Totum autem volumen Librum viſionis appellat, vt veterem prophetarum conſuetudinem, & priſtinum ſcribendi morem, vel in hac re imitaretur. Sic enim legimus clariſsimum vatem Eſaiam, egregium illud vaticiniorum opus, Viſionem appellauiſſe. Viſio (inquit) Eſaiæ filij Amos, & cætera.

Neque verò difficile arbitror, cauſas inue-ſtigare, & rationes propter quas ſacri pro-phetæ propria vaticinia viſiones appella-uerint, & oculis, potius quàm cæteris ſen-ſibus, eas accommodarint. Nam eſt hic ſen ſus longè acerrimus, vt Plato in Timæo, & Cicero 2. de Finibus, ex Platonis ſenten-tia dixere. Sunt oculi in corpore humano tanquam rerum omniũ ſpeculatores. Ob-eámque rem altiſsimum locum obtinent, ex quo plurima circumſpicientes, fungan-tur ſuo munere. Finxit quidem artifex re-rum Deus, in corpore ſumma prouidentia cæteros ſenſus, & tanquam feneſtras illos aperuit, per quas vel animus ad res inueſti gandas ſe proriperet, vel res ipſæ ad effi-ciendam cognitionem vltrò ſe in animum inſinuarent. Senſum tamen videndi præ-ſtantiorẽ multò cæteris iudicamus, quòd quæ oculis deprehẽdimus, nullo egeãt aut firmiori, aut grauiori teſtimonio. Cùm ſit ergo ipſa rerum futurarũ præſenſio, quæ Diuini ſpiritus inflatu conſtat, longè cer-tiſsima, vtpotè quæ à Diuinæ lucis radio & ſplendore deriuetur, neque externo aliquo egeat teſtimonio, propter ſum-mam illius certitudinem, relinquitur pro-

phet

phetiam omnem, cum viſione corporea, plurimum habere ſimilitudinis. Nullum eſt deinde inter cætera membra, oculo aut excellentius aut diuinius, aut ſpiritali naturæ omni corporea mole ſolutæ, cognatum magis. Galenus nanque artis medicæ Princeps, & Auerrois præterea, vir rerum multarum ſcientia & cognitione non in poſtremis habendus, cùm membrorum omnium, quibus humanum corpus abſoluitur, rationes redderent, & ſingularum partium vtilitates, & oportunitates declararent; auſi non ſunt huius membri cauſas inueſtigare, & videndi inſtrumenta exponere. Adeò difficilem & flexuoſam huius rei diſputationem exiſtimauere. Ego verò nullam huius tantæ obſcuritatis cauſam cõſequi ingenio poſſum, quàm quòd membrum hoc maximè ſpiritale ſit: illiúſque exactior cognitio plurimum à complexu humanæ mentis remota. Quocirca idem Galenus, oculum Diuinum membrum appellat, quòd ſit eius inexplicabilis & mira ſubtilitas, ſi quid aliud in animantium natura. Stoicos verò, viſum Diuina appellatione, ob ean-

dem cauſam cohoneſtauiſſe accepimus. Theophraſtus deinde oculum, hominis formam vocabat: non tantum quòd effoſſo oculo totus euaderet informis (vt Chalcidius dixit) ſed quòd totius hominis ſit quaſi alter animus. Itaque prudenti conſilio (ſi diligenter animaduertamus) ſacri vates, ad explicandam prophetiæ naturam, viſionem illam appellauere, & oculorum operationibus potiſsimum accommodarunt: ad inſinuandum fortaſſe illam vim, & facultatem prædicendi futura: maximè eſſe ſpiritalem, nihilque habere cum humano corpore commercij, ac proinde totam eſſe Diuinam. Satis ſciebat ſpiritus cœleſtis, veterem illam opinionem multorum animis penitus inſitam, quæ vaticinandi vim quorundam ſpirituum, & ſanguinis incitationi, corporiſque temperaturæ tribuebat. Sed & alteram illam penitus conuellendam nouerat, quæ hominibus qui atra bile inueſtarentur: eandem facultatem præſentiendi futura accommodarent. Vt ergo totam ſpiritalem eſſe rerum futurarum præſenſionem nobis inſinuaret: membro toto humano corpore: maximè ſpirita-

li

li (oculis videlicet) mentis propheticæ incitationes, frequenter aſsimilat. Accedit ad hoc, ꝙ tum oculi temperatura, tum ipſa operationis ratio accommodatiſsima videtur ad explicandam ſpiritus prophetici vim & naturam. Nemo in Theologicis vel mediocriter verſatus, ignorat viſionem propheticam: Diuina aliquando, angelica etiam interdum infuſione ſimulachrorum perfici. Cùm ſint autem oculi corporei (vt Phyſici prodidere) cryſtallina ſpiſsitudine compacti, illius vtique ſubſtantia humiditatem exigat aquoſam neceſſum eſt, vt viſibiles formas, & exemplaria à corporibus dirempta, inſita perſpicuitate excipiat, relinquitur tantam eſſe inter viſionem propheticam, & oculorum operationes ſimilitudinem, vt nulla poſsit excogitari maior. Nunquam viſio corporea perficitur ſine ſimulachrorum apprehenſione: nam eſt aër natura perſpicuus, ob eámque rem dum in propria manet ſpecie, in animum ſe inſinuare non poteſt, vt eſt ab Alberto cognomento Magno obſeruatum. Prophetica autem viſio nunquam abſoluitur,

quo

quouſque ipſæ rerum ſimilitudines, Diuino beneficio menti propheticæ contemplanda & colluſtranda obiiciantur. Cùm ergo vtraque actio, æqua opera, ſimulachrorum influxum poſtulet, altera Cœleſtium & Diuinorum, corporeorum altera, ignorare poſsit nemo: incredibilem inter eas operationes affinitatem & coniunctionem eſſe. Adde quòd corporeus oculus (ſiue nullum habeat inſitum natura lumen & ſplendorem, vt Auerroes libro de ſenſu & ſenſili, conſtanter affirmare videtur, ſiue ingenita luce proprias exequatur operationes, vt Ariſtoteles autor eſt) nuſquam ſine lucis influxu & contactu quodam, aut rerũ formas excipere, aut res ipſas intueri poſsit: cùm ſit lux ipſa eius facultatis principium, & à natura deſtinatum obiectum. Quo fit, vt acies ipſa oculorum in lucem prima incitatione feratur: deinde verò in colores ipſos, qui lucis imitantur naturã. In hunc modũ viſio prophetica ſine lumine & ſplendore cœlitus infuſo, nunquã fit. Sed quemadmodũ corporeus oculus externã luce deſtitutus, nullã penitus rerũ cognitionẽ aſſequitur: non ſecus & humanus animus nulla colluſtrat

ſtratus luce Diuina, ad rerum futurarum præſenſionē efficitur impos: Nunquã corporeus oculus ingenita luce, aut rerũ imagines, aut res ipſas deprehendere poſsit, ſine lucis externæ præſidio. Et humanus animus futuras res (quæ partim à Diuina prouidentia, partim à delectu humani arbitrij, principiis adeò inuolutis pendent) nunquam queat cognoſcere, ſolo naturalis lucis adiumento, niſi Diuinum lumen, quod propheticũ appellamus, Diuinitus infuſum accipiat. Lumen enim noſtris animis natura inſitum, eò vſque humanæ mentis aciem perducit: vt quæ oculis, auribus, cæteríſque ſenſibus haurîmus, complectatur. Futura verò contingentia inter hæc connumerare ſtultum planè fuerit. Si ſola ingenita luce præterea, magnifica illa, & ſalutaris vaticinandi vis conſtaret, nũquam propheticus animus eo munere deſtitueretur. Rerum autem vſus & ſacrarũ literarum autoritas, (quæ ſumma ſemper eſſe debeat) contrarium docet. Varia eſt apud prophetas viſionis ratio, & huius nominis ſignificatio, in arcanis libris, latiſsimè patet. Eſt viſio, aliquando idem quod ſpectri, ſiue exẽplaris rei cuiuſpiã, ab ipſa

mentis acie comprehenſio. Talis fuit viſio illa Hieremiæ.1.cap. cum virgam vigilantem, ſeu amygdalinam, intueretur, & ollã feruentem ſeu ebullientem, conſpiceret. Videbat itaque magno Diuinæ prouidentiæ conſilio) vigilantis virgæ ſimilitudinẽ, quæ arcanas continet rationes. Virgam enim regnum ſiue magiſtratum, in ſacris literis, ſignificare nullus ignorat: ac proinde & regem ipſum & populi præſidẽ. Vnde veteres Aegyptij inter Ieroglyphicas literas, ad regiã dignitatem exprimendam, depictam virgã commemorabãt: cuius in ſummitate, oculus eſſet apertus ac vigilãs, & quaſi circunſpectans, multíſque rebus intentus. Eãm ergo Regni, optimíque Regis effigiem, quã Egyptij ſummis ingeniis expreſſêre ſanctus Propheta Hieremias prophetico illo ſimulachro intuebatur, quaſi depictam. Nam quoniã impij & nefarij homines, & qui omnibus ſe addixêre ſceleribus, de Diuina prouidentia, & conſiliis, ſiniſtrè iudicare ſolent, exiſtimantes numen, aut oculis conniuere, aut dormiẽtis inſtar, oculos palpebris tenere inuolutos (eam ob cauſam fortaſſe, quòd à primo ſcelere non illico corripiantur à Deo)

vigil

vigilanti virga inſinuabat: aciem Diuinæ mentis omnia ſemper colluſtrare, atque complecti: nunquam non intueri, qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate religionem colat, & denique piorum & impiorum habere rationem. Boni enim & optimi regis eſt: nunquam diſcedere, quaſi in vigilia ſemper ſtare, neque à rebus publicis oculos deiicere. Homerus omnium Poetarũ longè præſtantiſsimus, vt multas alias virtutes regibus colendas, & amplectendas declaret, hac vna tamẽ popularibus hominibus præſtare debeat ſemper, qui Reipub. præeſt (vt ille inquit) ꝙ & bonis & malis vigilãdũ illi eſt. Excitat Agamẽnona, Græcorũ principẽ, ac ſummũ imperatorẽ, qui graui eſſet ſomno cõſopitus, nihilq; illi magis commendat, quàm vt excubias agat, quaſi hæc ſint certiſsima reipu. præſidia, quibus ſemper ſit cõmuniẽda & cõſeruãda. Ac ꝓpterea ſummus ille Deus ſancto Prophetę Hieremiæ, ea ſimulachra mẽtę colluſtrãda deferebat, quæ diuinos oculos apertos ſẽper, & vigilantes declararet: & ad corripiẽdos impios, & ad tuendam innocentiam. Et quoniam populus Iſraeliticus, totáque Iudæorũ gẽs, flagris & verberibus ad mẽtẽ

erat reuocanda: ollam ſecũdo loco videt, quæ diuinam indignationem, & ardorem ſignificaret irarum, qua ſtultus ille populus totus erat abſumendus, & in Babylonicam captiuitatem ac miſeram ſeruitutẽ, quaſi in ollam feruentem coniiciendus. Venuſtiſsima(me hercle)metaphora ebullientis ollæ,ad exprimendum animum indignatione iráque cumulatum,& in vltionem & vindictam propenſum. Pythagoras Græciæ Philoſophiæ parens(quẽ Hieremiæ auditorem quidam fuiſſe arbitrantur)ad ſignificãdas implacabiles, & inexorabiles iracũdias(quæ ſemper à nobis ſunt imperio rationis coercendæ & extirpandæ)celebratiſsimo illo vtebatur ſymbolo, Ollæ feruentis veſtigia in cinere confundito.Huius generis eſt viſio illa Eſaiæ capi.15. cum Moabitarum ciuitatem, nocte vaſtatam,internis rerum imaginibus conſpiciebat. Nocte (inquit) vaſtata eſt, ער quæ ciuitas ex Græco & Hebræo(autore Hieronymo)nunc Areopolis dicitur. Nõ ab ἄρεος, hoc eſt marte, vt quidam falsò putarunt. Videbat itaque nocte direptam & vaſtatam Moab,& ampliſsimæ ciuitatis excidium,per ſimilitudines ipſas, prophe-

ticæ menti Diuinitus infuſas. Illud libens prætermitto: Nunquid nocturna Moab deuaſtatio ad nocturnum patris inceſtum cum filia pertineat, an ad magnitudinem periculi & cladis, quæ noctu grauiorem ſolet incutere formidinem, vel ad cuniculos, terræq; foſſuras, per quas ciuitas muniti ſsima ab hoſtibus fuit capta. Hûc referendam arbitror viſionem illam Petri, cui linteus omnigenis animantibus refertus, interna mentis viſione oblatus fuit. Actor. cap.11. Eſt præſertim aliud viſionis genus, quod ſola Diuini luminis infuſione, nullo exemplariorum, aut imaginum adminiculo fit. De eo viſionis genere (mea quidem ſententia) propheta Regius, 2.Regum, cap.7. dicebat: auriculam ſibi reuelatam à Deo. Menti enim & cogitationi inſtillauit ſpiritus neceſſariam ad erigendum templum materiam cõtraheret. Pau. Apoſt. 1. ad Corint. cap.14. de eodem propheticæ viſionis genere multa accuratiſsimè diſſeruit. quiſq; (inquit Pau.) reuelationem habet, id eſt, iuxta mẽſuram Dei cœlitus collatam, videt & intelligit. Et paulò pòſt. Quòd ſi ſedẽti reuelatum erit, primarij in eccleſia taceant, quaſi dicat, ſi

inter ſubſellia. fuerit quiſpiam, vel qui Deo inſpirante, incidentem quæſtionem expedire poſsit accommodatius, primariis viris hallucinantibus, amplectendum ſanè quod Chriſtus humiliori membro aperire dignatur. Poſtremò tandem, & externis quibuſdam, & ſenſilibus rebus, corporeis oculis obiectis de venturis rebus ſpiritus Diuinus prophetas inſtruebat. Quemadmodum Hieremiæ prophetæ olim, vel baltheo lineo, quem ipſe lumbare appellat, vel confracta & comminuta laguncula, ſiue vaſe teſtaceo, vel catena collo appenſa, & manibus circumuoluta, futurarum rerum ſignificationem aliquam, & certiſsimam contulit præſenſionem. Hæc tria viſionum genera Diuus Aurel. Auguſtinus, ab vno charitatis præcepto, non ſine magno iudicio & diligenti ſatis animaduerſione eruit. Hoc præceptũ (inquit) Diliges proximũ tuum ſicut teipſum, totam de viſionibus propheticis quæſtionem (difficilem & inuolutam ſatis) oculis ſubiicit colluſtrãdam. Tria enim viſionum genera in hoc præcepto tibi occurrunt, quorum alterum oculis, ſpiritu alterum, poſtremum mẽtis acie complectaris.

Liter

Literas enim oculis intueris corporeis,proximum ipſo ſpiritu cogitas abſentem,charitatem verò altiori cõprehẽdis mentis acie. Primũ ergo viſionis genus corporeũ eſt,alterum ſpiritale, quod ad animũ pertinet: poſtremum tandem intellectuale, ab intellectu,quia mentale,à mente dicere, ratio Latini ſermonis non patitur. Secũdum autem illud viſionis genus ſpiritale Diuus Auguſt.appellat,quamuis rerũ ſimulachris & imaginibus perficiatur. Pau. Apoſt. ad Coloſſ.c.3.cũ Chriſti Diuinitatẽ aſſereret, corporaliter in Chriſto inhabitare dixit. Nã cũ diſputatio incidiſſet de vmbris Moſaicæ legis,in quibus non vera Diuinitatis ratio,ſed imagines quædã,& vmbræ verſarẽtur,prudẽti iudicio, vmbris & imaginibus corpus oppoſuit,dicẽs:in quo ĩhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Quãuis ergo Diuinitas ipſa nulla mole afficiatur, & ab omni ſit materia ſecreta, Paulus tamen dicere nõ dubitauit corporaliter Chriſtũ inhabitare, vt vmbris & figuris corpus, quaſi veritatem obiiceret, quòd Moſaicis illis imaginibus vmbra tãtùm ineſſet, & numinis ſignificatio quædam tenuiſsima. Eadem ergo loquendi

licentia, ſecundum illud viſionis genus ſpiritale Diuus Auguſtinus appellat, tametſi ſpectris rerum, & ſimulachris abſoluatur, vt corpori ſpiritum opponeret, quanuis ſimulachra ipſa corporea quodammodo appellari poſsint. Ea verò viſionis ratio, quæ à nobis poſtremo loco poſita, corporea appellata fuit: ſuapte natura (niſi aliud accedat excellentius) neminem poſſet vatem efficere. Tanta eſt enim propheticæ viſionis veritas, eáque conſtantia verbis ſemper & comprehenſionibus propheticis ineſt, vt citius aut cœlum ruat, aut tota ipſa natura vehementiori labefactata motu cōcidat, quàm vt prophetarum oraculis vel leue aliquod mendacij veſtigium deprehendatur. Cùm autem animus fallaces ſequitur ſenſus, fallitur & ipſe, vitio opinionis ſuæ, ea probando tanquam certiſsima, quæ veri tantùm habeant ſimilitudinem. Nauigantibus nobis in terra, moueri videntur quæ ſtant, & aſtra conquieſcere, cùm perenni agitentur motu, & tranſeuntis vehiculi ſtrepitum, tanquam ex tonitruo factum, auditus indicat, annulum in tenebris contrectatum, aureum tactus ipſe exiſtimat,

cùm

cùm ſit argenteus. Quæ omnia ſatis declarant, corpoream illam viſionem, quæ per ſenſus fallaces fit, frequenter animum decipere, ac proinde neminem ipſam per ſe vatem efficere poſſe, niſi excellentius aliud, atque diuinius addas. Neque enim vnquam propheta quiſpiam fuit, ea tantùm rerum cognitione, quæ mentem à vero poſsit abducere, & in graues errores agere tranſuerſam. Sed & alterum illud viſionis genus, quod ſpiritale appellauimus, nondum propheticũ dici debeat: niſi præſtantiusquidpiã adhibeamus. Nam vt corporeã viſionẽ multis erroribus obnoxiam diximus, ita & de ſpiritali viſione ſtatuendum arbitror. Frequenter enim eo viſionis genere decipi quoſdam videmus: ipſa exemplaria rerum, res ipſas exiſtimantes, vt in amentibus & furioſis, & dormientibus ſæpe accidere ratio ipſa demonſtrat. Cũ ergo priſcos illos vates ſpiritus Diuinus corporeis viſionibus, de vetutis rebus inſtrueret, aut rerum ſpectris, contingentium tribueret ſignificationem aliquam: vnum ſanè erat quod illos vates efficeret, mentis ſcilicet Diuina quædam incitatio. Sequebatur autem ipſam animi inflam-

mationem & inſtinctum Diuinum rationis & mentis officium, & diligentior quædam animaduerſio, certiſsimáque earum rerum comprehenſio, quæ ſibiipſis imaginibus offerebantur intuendæ & contemplandæ. Vt ergo ſimulachra rerum externæq; res, animis prophetarum cognitionem quandam ingenerarent; ipſa tamen per ſpiritum ſanctum ſola mentis incitatio, propheticam viſionem efficiebat, quæ & exemplaria rerum in animum infundebat, & mentem concitabat ad rerum futurarum præſenſionem. Quocirca regē Balthaſarum nemo ſanæ mentis prophetam appellet, qui apud Daniel. cap. 5. articulos ſcribentis manus aduerſo in pariete videbat, tametſi per imagines illas corporeas ipſa rerum effigies illius animo fuerit impreſſa. Aderat quidem oculorum officium, qui ſcribētem in pariete manum intuerentur, aderat & officiū ſpiritus, qui impreſſas animo imagines rerum videret. Et tamen quia nulla erat ſpiritus concitatio, neque inflammatio illa, aberátque mentis officium, propheta nondum appellari poterat. Acceſsit Daniel, qui perturbato Regi, mente ab ſpiritu illuſtrata exponeret

quid

quid ſigno illo portenderetur, & oracula Diuino inſtinctu funderet; déque rebus venturis vaticinaretur, vt intelligas mentis illam incitationem, viſionem propheticam efficere, quemadmodum dicebamus. Petrus Apoſtolorum Princeps Actorum capite decimo, in mentis alienationem actus, linteum illum per ſpiritum videbat, omnigenis quadrupedibus refertum, dictúmque eſt illi, Macta & manduca. Sed cùm hæc per ſpiritum tantùm cerneret, propheta nouerat, neque illius viſio inter viſiones propheticas connumeranda. Cùm verò corporeis ſenſibus redditus, ij quos Cornelius miſerat venirent ad Petrum, & ſpiritus ipſe ei ſuggéreret eundum eſſe cum illis, tunc tandem Petrus intellexit Diuiniori quodam inſtinctu, quid ſpiritalis illa viſio ſignificaret, ac demum in prophetam euaſit.

Quibus omnibus facilè liceat colligere, quis tandem propheta ſit habendus, & qualis debeat eſſe viſio illa, quæ prophetam efficit, ſi de duobus illis viſionibus quæſtio incidat. Viſio autem illa, quam intellectricem diximus, ſupremum inter cætera locum obtinet, quod ab omni

errore & fraude longius abſit. Neque enim fieri vllo pacto poſsit, vt in errorem quiſpiam eo viſionis genere labatur. Nam aut intelligimus & verum eſt, aut ſi verũ non eſt, non intelligimus. Duplici ergo ratione animus hominis Diuina ope rapi poſsit. Primò vt à ſenſibus auocetur, amplius quàm in ſomno, minus quàm in morte & rerum ſimulachra: per ſpiritalẽ viſionem contẽpletur, admonitúſq; à numine, ſciat ſe non corpora ſed ſpectra videre, quæ aliquid futurũ eſſe ſignificent. Poſsit deinde ad altiorẽ aliam regionẽ, vbi nullæ verſentur rerũ ſimilitudines rapi: ſed ad regionẽ rerum intelligibilium, vbi veritas ipſa citra vllam videatur ſimilitudinem, vbi nullis opinionibus animus ipſe detineatur, vbi virtutes animi operoſæ non ſunt. Neque enim opere temperãtiæ libido frænatur, aut fortitudinis præſidio tollerantur aduerſa, aut iuſtitiæ ope puniũtur iniqua: aut prudentia & cõſilio opus eſt, ad fugienda pericula, quæ in illa regione nulla ſunt. Excitati itaque prophetarũ animi, in eam frequenter regionem, ſpiritus ope rapiebantur, vbi rerum exemplariis conſpectis, earundem rerum euentus certiſsimè con-

templ

templabantur. Talis fuit viſio Eſaiæ prophetæ, cum cap. 6. ſedentem Dominum ſuper ſolium excelſum & eleuatũ, &c. videret. Ezechias præterea, cum cap. 6. cœlum apertũ, & animantia illa plena oculis, ventum turbinis ab Aquilone veniẽtem conſpicaretur. Huius etiam generis fuiſſe arbitror viſionẽ illam, quam propheta Nahum commemorat dicens, LIBER Viſionis Nahum Elceſæi. Si tamen viſio cenſenda ſit, aut inter viſiones propheticas connumeranda: hæc prophetæ epiſtola ad viros Niniuitas miſſa, & non potius ſpiritus Diuini, ſine idolis aut ſimilitudinibus, inſtinctus quidam, qui per ſeipſum prophetæ mentem excitaret ad ſcribendum & in aurem inſtillaret, quibus eſſent verbis Niniuitarum ſcelera exagitanda, & ampliſſimi regni certiſſimũ excidiũ declarãdum. Neque enim opus eſt, cùm prophetæ viſionem cõmemorant (vt eſt à Hieronymo diligenter annotatum ſuper Eſa. cap. 1.) viſionis nomine, ſimulachrorũ, internũ mentis propheticæ conſpectũ intelligamus. Solent enim prophetæ ab ipſa viſionis appellatione exordium ſcribẽdi ſumere: ac deinde non quæ per imagines viderint im-

preſſas menti, ſed quæ ſpiritus interius ſuggerit, exponere. Id quod ab Eſaia ſeruatum eſſe videmus, ipſo ſtatim totius operis ingreſſu. Tertium illud viſionis genus, omnium longè excellentiſsimum (quod iuxta Auguſtini ſententiam, tertium cœlum Paulus appellat) paucíſsimis, vt arbitror, fuit conceſſum, quorum tanta cum Deo fuit familiaritas, tam arcta amicitia, vt ad Diuinæ claritatis conſpectum admitterentur, tantúmque in eorum animos ſplendoris Deus infunderet, quantum mens ipſa, corpori mortali innexa, capere potuiſſet. An verò hoc tam eximium beneficiũ ſummus Deus in paucos illos contulerit, eorum aliquo ſingulari merito adductus, an potius à Diuina liberalitate & benignitate duntaxat fuerit profectum, aliis excutiendum relinquo. Illud ex Auguſtini ſententia multorum eſt conſenſu firmatum, Paulum ſcilicet, & Moſen eo cognitionis Diuinarum rerum perueniſſe, vt ad ſupremum illud viſionis genus fuerint euecti; quod Moſes loqutionem appellat ore ad os. Numeror. duodecimo capite. Paulus verò Dei paradiſum, & raptum in tertium vſque cœlum. De viſio-

nibus

nibus itaque propheticis, quoniam in Apocalypſim Ioannis copioſius diſſeruimus, ne tædio fortaſſe Chriſtiano lectori ſimus, ad explicanda prophetæ Nahum oracula, noſtra ſe iam conuertat oratio.

Deus æmulator, & vlciſcens Dominus, vlciſcens Dominus, & habens furorem, vlciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe inimicis ſuis.

QVibus Epiſtolam ſcriberet ſummus ille Princeps Deus Opt. Max. ſatis (vt arbitror) à nobis fuit in ſuperioribus declaratum. Sed cùm apud gentes penè omnes, quæ aliqua humanitatis ratione & cultu tenerentur vſus obtinuerit, vt ipſa totius Epiſtolæ fronte, & illius cui ſcriberetur, & à quo literæ venirent, apponerentur nomina: prudenter ſatis poſtquam Niniuem commemorauit propheta, tanquam totius regni Aſſyriorum caput, ad quam ſcriberet Dominus, quis ille ſit qui literas feciales mittit, ſecundo loco exponit dicens, DEVS æmulator, & cætera. Et quoniam illud Diuini iam erat conſilij, ſummum Aſſyriorum imperium, ſcilicet, funditus delere, propter

inuet

inueteratam peccandi cõſuetudinem, quæ Niniuitarum animis penitus inhæſerat, conceptas animo inimicitias, & incredibilem indignationem ſummi Dei in homines impios Diuinus propheta, primo quaſi aditu totius Epiſtolæ declarat: Deũ zelotypum, vltorem, iracundum, appellando, vt his titulis & acerbitatem indignationis, & Imperatoris Dei ſæueritatem exponeret. Nam tametſi vſitato hominum more loquendo deforme videatur, ad ſummum imperium acerbitatem aliquam iracundiæ adiungere, ſæueriora tamen imperia eſſe non poſſunt ſine aliqua ſignificatione indignationis, vt in ſequentibus latius explicabimus. Eſſent autem hæ appellationes Diuinæ maiuſculis conſcribendæ literis (quemadmodum interdum apud Græcos & Latinos propria nomina ſcribuntur). Igitur quicquid mortales homines temporis progreſſu acquirunt (nam ab humanis rebus, quas habemus exploratas, ad Diuinas ſemper ipſa mentis acies conniti debeat, atque contendere) aut res eſt, aut appellatio aliqua. Cùm enim ſit noſtra natura variis obnoxia mutationibus, & corpus ſubin-

de

de iuxta ſingulas illius partes, & animus conſiliis, opinionibus, artibus, affectibus denique, vtcunque mutetur: fit neceſſariò, quidquid nobis toto vitæ decurſu acquiritur, aut nomen ſit, aut nomini ſubiecta res aliqua. Deus autem ipſe, cùm rerum omnium artifex ſit & creator, (ab illo enim tanquàm à primo fonte fluxere omnia) nullam vnquam rem nouã, ſibi ita potuit adiũgere, vt demutationi alicui eſſet expoſitus. Qui enim ſua natura αὐτοφυὴς eſt, nullius egens, per ſe ſufficiens, intelligi nõ poteſt, quo pacto noui aliquid illi accidat. Veruntamẽ cùm Deus intra ſe ipſum nulla potuiſſet augmenta ſuſcipere (noſtris rebus ingẽti ſtudio proſpiciens) extra ſe augeſcere voluit: ea opera efficiẽdo, per quæ ad infinitam illius magnitudinem nomina ſaltem & appellationes acciderent. Atque ita factum videmus, vt quoniam mortales ſolent, ab operibus ipſis nomina inuenire, & famam & dignitatem longiſsimè propagare, ſummo etiam Deo, æqua opera propter expreſſas illius virtutes, ipſo naturæ opificio, & admirandas operationes circa totius vniuerſi prouidentiam, & gubernationem, nomina quædam & appel-

lation

lationes accõmodentur, creatoris, iuſti, ſapientis, vltoris, zelotypi &c. Quæ autẽ hominibus nomina accommodantur, non vnius tantum rationis ſunt, ſed variæ latéque patentis. Sũt enim appellationes quędam & nomina ab ipſo exortu ſingulis hominibus impoſita, quo vnus ab altero ſecernatur, vt Moſes, Dauid &c. Alia verò quæ egregiis operibus parantur, vt munificus, liberalis, fortis. Prima itaque appellationum ratio, ex parentum pendet arbitrio; altera verò operationes ipſas conſequitur. Non ſecus & Deo. O. M. aliud tribuimus nomen, vt à rebus cæteris diſtinguatur, illum appellando יהוה, id eſt, Deum, aliud autem cùm illius miranda opera mente complectimur, iuſtum, ſapientem, vltorem, zelotypum, nominando. Nomen verò illud quod cuique noſtrum ſingulare eſt, antequam operum præſidio in lucem veniat, omni dignitate & celebritate deſtitutum videtur: iacétque in obſcuro, quoad præclaris excitetur, & illuſtrêtur actionibus. Ad eundem modum anteaquam Deus. Opt. M. quidpiam extra ſe operarétur erat quidem יהוה ſiue Deus, nondum tamen cæteras appellationes,

nes, zelotypi, vltoris &c. illi accommodare licebat, quouſque nomẽ illud ante creationis opus prorſum incognitum Diuinis operibus in lucem quodammodo vẽdicabatur. Quocirca abſoluto mũdi opificio, Deus creator appellari cępit, Cùm primos parentes ſacro illo nemore collocauit, vt ſummis voluptatibus fruerẽtur, munificus Deus, cùm in illos grauiter animaduerteret propter peccatum, zelotipus ſiue קַנָּא Hebraicè, cùm impium Chainum nouo quodam ſupplicij genere affecit, vltor ſiue vlciſcens. Sic cùm totum penè orbem, poſtrema clade exundantibus aquis affecit, cùm in Gentem Aegyptiorum tantum ſuppliciorum, & pœnarum effudit. Neque verò quiſpiam exiſtimare debeat Deũ vel tantam rerum varietatem, & incredibilẽ pulchritudinem, ex informi maſſa eduxiſſe, vel cætera effeciſſe opera præclara, vel conſequutas inde appellationes nouas, vltionis, iuſtitiæ &c. hominibus ſanctis reuelauiſſe, proprij quæſtus, vel emolumenti gratia: & non potius vt miſero homini, & infœlici, per omnia conſuleret. Hinc enim cœpêre mortales, magnã curã; atque ceremoniã ſuperioris illius habere
natu

naturæ. Hinc ſanctitas illa profecta, quam ſcientiam colendi Dei iure appellare poſſis. Hinc etiam religio, quæ pio Dei cultu continetur. Pietas item, & honeſta de Numine humanis mentibus concepta opinio. Sacri itaque vates, quoniã totius religionis caput erat, ſupremam illam naturam quam Deum appellamus, diligere, & timere: frequenter ſolebant maturo ſatis iudicio, illam hominibus declarare, eis nominibus & vocibus, quæ & amorem interdũ, interdum etiam grauem formidinem excitarent. Ob eámque rem ab ipſis Diuinis operibus, ſacra hiſtoria conſignatis, non ſine Numinis inflatu, & mentis admirabili concitatione, nomina & appellationes eruebãt, iuſti, zelotypi, vltoris, benigni &c. quo mortalibus ſuaderent, pietatem, ſanctitatem, religionem, piè & caſtè Dei numini tribuenda, puráque, integra, & incorrupta mente, meritã ſemper Deo immortali gratiam habendam, & vt amor ipſe, atque timor hominum mentes ita occuparet vt Dei ſummi religione quodammodo obſtrictæ, ad fictas religiones, & pernicioſas nunquam prolaberentur. Itaque cùm conſtanti fama atque omnium finitimarũ

gen

gentium populi Iſraëlitici, ſermone Diuina opera celebrarentur (percrebuerat enim apud impios illos rumor & prædicatio eorum omnium, quæ Deus Opt. Max. gentis Iudaicæ defenſor à cõdito orbe effeciſſet) Sanctus propheta Nahum quo illos potẽtius deterreret, & ab eis titulis Diuinis exordium ſcribẽdi ducit, qui impiis Niniuitis in mentem reuocarent, quanta eſſet potentia, maieſtas, ſeueritas Principis Dei, qui ad illos literas dirigeret. Ob eámque rem, zelotypum Deum, vltorẽ, ira incandeſcẽtem, & quaſi cupiditate vindictæ inflammatum declarabat. DEVS æmulator (inquit) & vlciſcens Dominus, &c. Fuit autẽ apud prophetas omnes celebre & quaſi ſolẽni more & inſtituto ſeruatum, ſummi Dei laudes apud mortales cõmendare, ſumptis à Moſe vocibus, & loquendi formulis, quò illorum orationes potentius in animos Iſraëliticæ gentis influeret, cui Moſis viri ſanctiſsimi memoria & recordatio, non tantùm gratiſsima, ſed & ſacroſancta ſemper fuit. Et quemadmodum apud nos, cùm vel publicis conflictationibus, vel orationibus ad populum, ſi quidpiam firmandum aut labefactandũ eſt, ex

Euangelio Chriſti, aliiſque libris canonicis, teſtimonia petuntur, & voces quædam interdum vſurpantur, quo noſtræ ſententiæ maior accedat autoritas, non ſecus ſancti prophetæ, ſuis temporibus, vt illorum ſcripta teſtantur, ex Moſaica lege argumenta, rationes, teſtimonia, loquendi formulas & tropos libenter petebant, vt Diuinæ legis pondus, magnam etiam ſuis vaticiniis fidem conciliaret. Moſes verò hos titulos æmulatoris & vltoris, tanquam pulcherrimos, & ad incutiendam formidinem populo rudi & intractabili appoſitiſſimos Deo aliquando tribuebat, Exo. 34. cùm Iudæorũ gentem magna cura & prouiſione, ab alienis & peregrinis religionibus auocaret, zelotem Deum & æmulatorem appellabat dicens: Zelotes nomen eius, Deus eſt æmulator. Et Deuteron. 4. Deus noſter ignis conſumens eſt, Deus eſt æmulator. De vindicta autem & animo vlciſcendi & furore, multa mentio eſt Deuteron. 32. Numer. 31. Exod. 15. & 32. aliiſque innumeris locis. Itaque propheta Nahum, cæteríque vates, iſtiuſmodi appellationes Deo tribuebant, tum quòd in lege Moſaica paſsim deprehenderentur,

tum

tum quòd veterem Diuinorum operum memoriam ante oculos mentéſque mortalium refricarent. Sic ſolent Principes, viríque claritate generis, & antiquitate inſignes, ad memoriam laudum domeſticarum, & illuſtrandam nobilitatem ſuam, ea cognomenta ex rebus præclarè geſtis deligere, quæ egregia ipſa facinora, integra ſemper hominum memoria, atque incorrupta ſeruent. Cæſares ex prouinciis quas vi & armis ſubegére, illuſtria tulere cognomenta, ſæpe populi acclamatione, nonnunquam decreto Senatus. Seuerus imperator, & reliqui poſt eum Cæſares, ex Arabia, Adiabena, Parthia, Armenia, Germania, quas ſuis auſpiciis, ductúque acquiſiuere, Arabici, Parthici, Germanici dicti ſunt. Sic etiam & Scipio ſubacta Africa, & Carthaginenſibus bello deuictis, Africani cognomen tulit. Sic Africanus minor, & Numantinus, ſic Macedonicus, Creticus, & Balearicus ſua traxere cognomenta. In hunc modum itaque Deo Optimo Maximo ſanctus Moſes cæteríque prophetæ, propter antiqua opera, quæ à condito orbe fecerat, cognomina quædam & appella-

tiones tribuebant,quibus & Diuinę ſæueritatis & iuſtitiæ, & lenitatis aliquando & manſuetudinis animi vetus renouaretur memoria. Sic noſter propheta, DEVS æmulator,&c. Mirabitur fortaſſe quiſpiã Diuinam philoſophiã, eos animi affectus & perturbationes Deo tribuere frequenter,quas vel homini ſapienti accommodare audeat nemo, vt amorem, odium, iracundiam, inuidiam, miſericordiam,ſpem, lætitiam,timorem, moleſtiam. Nuſquam enim affectus ij excitantur in nobis ſine vehementiori aliqua corporis irritatione, & contractione cordis, aut explicatione maxima. Cùm ergo Diuina natura nulla mole corporea afficiatur,fieri nõ poteſt, vt in has affectiones, & turbidos animi motus, inimicos mẽtis & vitæ trãquillæ incidat aliquãdo.Nã quæ animi perturbatio, in eam naturã incidere poſsit,quæ ſit purus actus, vt Theologi recentiores inquiunt, nihil potentiæ admixtũ habens?præſertim cum affectio ipſa potentiam aliquam,aut animi facultatem,tanquam proprium habeat domicilium & ſedem. Aberit profecto ab illa natura omnis triſtitiæ ratio atque doloris, à qua longiſsimè abeſt omnis ſenſus mali,

aut

aut incommodi. Nulla præterea ſpes boni conſequendi illam ſuſpenſam tenebit & incertam, quæ omnibus bonis plena ſemper, nihil extra ſe expetere poteſt. Non timor illā diſcruciabit, quia extra omne periculum, ſumma ſemper fruitur ſecuritate, quæ caput certè eſt beatioris vitæ. Non vexabit pœnitudo, quæ cum triſtitia coniuncta ſemper eſt, & magnas poſtulat animi mutationes. Quid verò de inuidia ſtatuendum ſit, quæ omniū motuum eſt longè acerrimus, & animi officio ieiuni, atq; anguſti? Quo pacto alienis bonis mœrebit; quæ alterius bono nunquam lædi poteſt, cùm ſit ipſa & omnis boni cauſa, & bonorum omnium? Quòd ſi eas affectiones & motus, qui minus concitati videntur, illi detrahimus, quis audeat cōmotionem illam, quam iram & vindictæ cupiditatem appellamus, maximè à ratione auerſam, quæ nunquam conſilio aut iudicio regitur Deo tribuere? Noluit Epicurus infenſus aliôqui Diuinæ prouidentiæ, benignitatis affectum Diuinæ naturæ accommodare, ne ſi benignum Deum faceret, cogeretur eundem facere vltorem, iracundum & ſæuum. Et Stoici omnem acerbitatem in-

dignationis,& iram à Diuina mente longè amouebant, tametſi benignitatem illi & ſummam lenitatem tribuerent. Ira enim cùm in animum cuiuſque inciderit, velut ſæua tempeſtas magnos excitat fluctus, & ſtatum mentis immutat, id quod ſuſpenſus incertúſq; vultus,& crebra coloris mutatio ſatis declarat. Tum ſi ad vindictæ cupiditatem raperetur aliquando Deus, ira commotus,nónne vniuerſa perditurū credamus?Si enim homo quiſpiam,qui habet imperium & poteſtatem, per iram ſanguinem fundit,vrbes ſubuertit, prouincias ad ſolitudinem redigit, quantò magis is qui totius orbis habet imperium,ſi ira & indignatione commoueretur aliquādo? Nihil ergo aliud reſtat niſi vt ſit lenis, tranquillus,beneficus,conſeruator. Mirādum proinde ſit,Diuinā ipſam naturam,noſtræ infantiæ & ruditati tantopere ſe accommodauiſſe,vt vltorē ſe & ira commotū dicat, quaſi his turbidis concitationibus &motibus eſſet obnoxius, ſed pēdebat hinc ſumma ratio religionis & pietatis, ſi rectè animaduertamus. Nam quemadmodum nullus honos illi impēderetur, ſi nihil præſtaret colenti, ita neque vllus metus perditis

homin

hominibus eſſet, ſi non ſe vltorem & indignatione permotum aliquãdo declararet. Nam quid eſſet homine ſæuius, aut truculentius ſi nullo metu compreſſus, Diuinarum legum vim aut fallere poſſet, aut contemnere? Spectabat deinde ad vtilitates cõmunis vitæ; vt homines intelligerent ſuas omnes actiones, ſtudia, conſilia, à Deo ſpectari: nullos præterea eſſe humanæ mentis tam abſtruſos cogitatus, qui Diuinos oculos effugere potuiſſent. Nam ſi perſuaſum homo haberet Diuinam ſe poſſe fallere ſcientiam, ſceleratè, impiè viueret. Cùm verò audit aut legit in arcanis literis, Deum indignatione & ira inflammatum, in ſtudia hominum & actiones grauiter animaduertere, cohibet ſeipſum & reprimit graui perculſus timore. Ad hæc, quemadmodum artifex rerum Deus, humanum corpus variis inſtruxit ſenſibus, ita etiam & animo varios inſeruit affectus, ad vſus vitæ neceſſarios. Libidinem procreandi ſobolis gratia, iram, cohibendorum delictorum cauſa, & cætera. Quid verò ſi homo neſcius, quales ſint fines bonorum & malorum, ſicut libidine ad corruptelas & voluptates,

ita etiam & ira, aut acerbitate indignationis, ad inferēda nocumēta vteretur? Nónne ſubito totum humanum genus interiret? In remedium huius tanti incommodi Deus Op.Max. voluit ſibi affectus tribuere, vt ab illo mortalis homo diſceret, in quem finē eſſent nobis natura affectus ingeniti. Eos tamen qui cum aliquo videntur vitio coniuncti ſibi accommodari noluit, vt homo intelligeret hûc ſemper eſſe annitendum, iſtiuſmodi affectus à nobis penitus extirpentur & diuellantur. Illud præterea vtilitatis ad communem attulit vitam, hæc affectuum in Deo ſignificatio, quòd ab illo facilè intelligere poſsit miſer homo, non ſtatim ad vindictam proſiliendum, cū iniuria ab altero laceſsitur. Nam cùm Deum audit vltorem eſſe, & illius eſſe vindictam (qui inquit, Mihi vindictam & ego retribuam) tempus vltionis ſpectat, qui & offendentis & offenſi dominus eſt. Imò ſi qua nobis perfectioris habitus cura eſt, orādus eſt Deus, exēplo Chriſti, vt neque ipſe vindicet, vt ſic impiorum crimen in noſtrā ſalutem vertamus. Habet etiā illud in ſácris literis rationes arcanas, quod ſummus Deus omnē ſibi vſurpare videatur

tur vindictæ rationem,& vlciſcendæ iniuriæ facultatem omnem. Exo. 32. dicebat, Mea eſt vltio,& ego retribuam. Et præſenti loco vltoris & indignati cognomenta, ita ſibi accommodare videtur, quaſi nullus alius vltor eſſe poſsit, aut illatas vindicare iniurias. Nam cùm homines iniuria affecti,aut aliquo maleficio prouocati,ſæuerè ac vehemẽter vindicare in impios cupiunt, aut iure, aut ferro, frequenter læduntur ipſi,& ſtudium vltionis in certiſsimam illorum pernitiem vertitur. Deus autem ipſe, qui cœlũ inhabitat, omnis eſt iniuriæ,dãni & acerbitatis ſecurus. Ob eámque rem,iure ſibi ſoli vltionem & vindictam,& cognomen tribuit vltoris. Nullus præterea eſt,qui tametſi aut lege, aut ferro, ſe à contumelia, & iniuria vindicet, ſitim ipſam & perturbatũ vlciſcẽdi motum extinguere poſsit.Quanuis enim aduerſarium & hoſtẽ multis afficiat incommodis, fortunas eripiat, famã lædat & dignitatẽ, cæteráq; efficiat, quæ grauiſsima ab hominibus mala iudicantur, in mortẽ deniq; ſi velis funeſtã coniiciat, nihil aliud reſtat,in quo experiri poſsit inflammatam vindictæ cupiditatẽ. Deus verò tũ maximè in hoſtẽ

& aduerſarium omni ſuppliciorum vi poſ-
ſit animaduertere, cùm vita defungitur.
Quocirca Chriſtus V.M. illius tantùm vl-
tionem & vindictam fore pertimeſcẽdam
docebat, qui & corpus & animã in gehen-
nam mittere poteſt. Poſtremò tãdem, quis
occaſiones ipſas iniuriæ vlciſcẽdæ quis op
portunitatem & facultatem nouit vt opus
eſt præter Deum? Is ſolus actionũ omnium
tempus opportunũ cognoſcit (quod Græ-
ci ἀκμὴν appellant) qui & Niniuitarum ex-
cidium grauiſsimum, quod per Ionã pro-
phetam fuerat comminatus, in aliud tem-
pus diſtulit, & cùm oblatã iam occaſionem
videret, ne illorum peccatis daret maiora
diuerticula, per prophetam Nahum acer-
bitatẽ indignationis ſignificat, & animum
vlciſcendi declarat. Cùm verò opportunũ
tempus acceſsit, ſuo iam malo intellexe-
runt Aſſyrij Deum Opt. Max. æmulato-
rem eſſe & zelotypum, & graui aduerſum
illos furore eſſe inflammatum & incẽſum.
Habet autem illa verborum repetitio, vl-
ciſcentis ſcilicet maximam vim, qua fre-
quenter rhetores vtuntur, vt in ſe audito-
rem conuertant, neq; languere ſinant. Ne-
que verba illa geminantur à propheta
ampl

amplificandæ orationis gratia, ſed excitandi Aſſyrios ad rei conſiderationem. Facit enim initium orationis propheticæ & acrius & inſtantius.

Benignus Dominus & fortis, & mundans non faciet innocentem.

BEnignum ſiue longanimem potius Hebræi ſua lingua אֶרֶךְ אַפַּיִם appellant, magna (mehercle) cum proprietate, quaſi dicas, tardum ad iram. Verbum ex verbo ſi vertas, longum facierum dixeris. Diuina ſiquidem philoſophia indignationem & iram, & vindictæ cupiditatem, omnem denique animi motum à ratione auerſum aut perturbatum, appellatione vultus & faciei, & narium exprimere ſolet. Ira enim & conciliatio omnis vehementior, & vultu ipſo, & narium interiori flatu maximè ſe prodit. Videmus in homine vehemẽtius commoto oculos ardeſcere, ora tremere, dentes cõcrepare, alternis etiam commaculari vultum: nunc rubeo colore ſuffundi, nunc verò pallore quodã albeſcere, intremiſcere naſum vehemẽtiori flatu & ſpiritu: quæ ſunt certiſsimi inter

internæ tempeſtatis indices. Hinc Regius propheta de impiorũ grauiori ſupplicio, & certiſsimo interitu dicebat, Pones eos vt clybanum ignis in tempore vultus tui. Tempus vultus appellat vltionem,& vindictæ deſtinatam horam. Et alibi,de Diuini animi diſplicentia erga perditos & profligatos homines. Vultus autẽ Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Itaq; Deum tardum aut longum facierũ appellãt Hebræi,quaſi dicas tardũ ad iram,&propter ſummam animi lenitatem vltionẽ iniuriarũ prolatantem & differentem. Tribuit propheta hoc loco Deo Opt.Max.id quod ſummus orator in Iulio Cæſare vehementius collaudabat,inter cæteras egregias illius virtutes, quòd iniuriarum, ſcilicet nunquam non obliuiſceretur. Exemplum itaque boni & optimi principis mente complectendum & colluſtrandum, propheta Nahum eleganter expreſsit. Decet enim eos viros, qui honeſtiſsimum inter cæteros locum tenent, primóſque ordines ducunt, & mala punire ſeuerè, & iuſtitiæ rigorem Regis lenitate ac manſuetudine temperare. Præſagium vtique fuit infœ-

licis

licis exitus, principatus Saulis (niſi me falſum tenet opinio) crudelis animi, & ſæui ſignificatio illa prima. Nam cùm ab aratro ſuorum hominum legationē, de Hammonitarum iniuria querentium, audiret: bobus (quos præ ſe agebat) ſuccidit crura, præfatus ſic, omnes perituros qui ſibi eodem die ad Iordanem flumen præſto non eſſent in armis. Nulla vnquam ſeculorum poſteritas, immemor erit, ſummæ crudelitatis illius, quā princeps Abimelech Gedeonis filius, tum in viros Sichimitas, tum in quadraginta eodem patre natos declarauit. Hos enim crudeliter interemit, vno excepto, qui fuga & pedibus, ſalutem ſibi reperit. Illos noctu adortus, omnes trucidauit: nulla ſexus aut ætatis habita ratione. Vrbem vi captam diruit, & in eius area ſalem ſparſit pro ſemine. Eos verò qui ſpe ſalutis ad templa ſe receperāt, facta lignorum congerie, ibidem flāmis & fumo necauit. Hiccine animus eſt principe dignus, qui alieno ſanguine expleri nō poteſt? qui alienis calamitatibus nunquam ſatiatur? Eſt quidem hominum naturæ, (quam ſequi debemus), maximè inimica crudelitas; principem verò nulla virtus magis de-

cet

cet quàm benignitas & clementia, perquá animus ad vindictam concitatus, comitate retinetur: & animaduerſio ipſa in eos qui leges,& iura violarunt magna moderatione temperatur. Sunt qui cùm in cæteros ſummum principatum obtineant,non ſatis Regiam dignitatem,& nomen ſe tueri exiſtiment,niſi cum Cambyſe Perſarũ rege mortuorum cadauera monumentis reuulſa afficiant verberibus,omnibúſque probris, aut cum Hannibale humanis cadaueribus pontem conſtruant, ſupérque exercitum traducant. Homero Poetarum præſtantiſsimo, imò Philoſophorum (vt ego arbitror) principi, non ſatis viſum eſt, principem ſubditorum patrem appellaſſe, tametſi nullum eſſet inter homines nomen, aut dulcius, aut benignius: ſed ad patris vocabulum manſuetum adiunxit, comen, ac clementem illum appellans, quaſi parentibus & ſummis principibus iſtiuſmodi nomenclatura ex æquo debeat conuenire. Sopatrus quidam, ex ſententia Simonidis (vt credo) principibus, ſummíſque magiſtratibus in Republic. fungentibus, multis modis ſuadet, principis munus eſſe, eos qui

ante

ante adeptam dignitatem, alienos arbitraretur, quaſi nihil ad ſe pertinerent, ad ſummos honores euectus, & reuereri tanquam notos & familiares, & amicos exiſtimare, & paterna beneuolêntia complecti. Idem etiam cùm principem inſtituit circa Rei. P. optimam gubernationem, indignationis acerbitatem, & animi remiſsionem ab illo longè profligandas affirmat. Altera (inquit homines decet furentes, & inſanos, altera addit calcaria ad violanda iura. Decet itaque principem (qui vt Demoſthenes autor eſt ſummi Dei imaginem inter homines debeat exprimere) acris aduerſum impios, cũ autoritate obiurgatio; lenis etiã curatio, ſuauis, & blanda, nã ſunt hæc duo, optimi principis argumenta. Summus ille ac maximus princeps Deus (cuius imaginẽ magnis viris mente cõplectendã & colluſtrandã, S. Propheta obiicit) indignationem & iram ſuperiùs expoſitam, ſumma anima lenitate tẽperat: ne fortaſſe quiſpiam arbitretur, Regiæ dignitatis eſſe, in aliorum cædẽ incredibili animi furore debacchari ſemper, tãta animi commotione, vt à ſenſu mentis, & neceſſaria principis conſtãtia diſcedat.

Inſe

Inferamus mẽtis oculos(ſi libet) in ipſam Diuinorum operum veterem memoriã, quam partim ſacrarum literarum monumentis,partim profana hiſtoria conſignatam nouimus: videbimus vtique, quanta animi lenitate, à condito mundo, infinitã ſcelerum & flagitiorũ multitudinẽ Deus tulerit, quæ partim ex breuitate admitterentur, partim ex imbecillitate humana. Tulit verò non tantum minorum peccata,ſed & maiorum impietates frequenter, quæ communi bono lõgè eſſent pernitioſæ. Neque verò ea tantum ratione,benignitatem declarauit ſuam, quòd vltionẽ, & iniuriæ illatæ vindictam,diu diſtulerit: ſed quòd hominum etiam iniquorum dignitati & famæ proſpexerit, & perditorũ cuſtodem egerit,& ſeruatorem:ſolem ſuũ oriri faciens ſuper bonos & malos, pluens ſuper iuſtos & iniuſtos. Quoties verò benignitas illa,quæ nos tot modis ad meliorem excitat vitam, nõ tantum impietates ipſas ſed & proprium ſui contemptum tolerauit? Quæ cùm nos adducat ad pœnitẽtiam(vt Paulus inquit)grauiſsimum vtiq; ſcelus iudicandum eſt,illam adeò deſpicere atque negligere,noſtræ ſalutis vehemẽ-

ter

ter auidam,& per omnia nobis male de illa meritis,conſulentem. Cauſas verò huius tam expoſitæ bonitatis & ſummæ clementiæ,tum erga Niniuitas,tum erga cæteros homines,qui omnibus ſe flagitiis addixêre,inueſtigare non fuerit difficile;modò optimas Diuinæ prouidentiæ rationes, & occulta ignaris hominibus cõſilia in lucẽ proferamus.Principio humanæ leges& iudicia, quæ in homines nefarios grauiter animaduertunt,ab ipſo ſcelere ſtatim ſupplicia inferunt, neque vindictam ſuſpendere patiuntur: quoniam ab humano ingenio excogitata ſunt & inuenta, cuius tam anguſti ſunt limites, vt futuros rerum exitus prorſum ignoret, tantúmque præſentibus ſe accõmodat rebus, quarum cognitionem aſſequi natura poteſt.Deus autem antequam ægrotam animam affligere ſecum ſtatuat; affectus omnes introſpicere, & euentus rerum magno iudicio diſcernit, conſiderátque num aliquando obſtinata mens flecti ad virtutem debeat.Multi enim ex peccatoribus iuſti effecti ſunt, ex malis,boni:ex improbis,cõtinentes: multi in prima ætate turpes, & omnium iudicio damnati,laudabiles tãdem extitere, quod

non fieret ſi ſtatim pœna ſequeretur peccatum. Ad hæc nos mortales homines ſtatim eradicandã arborem arbitramur, quæ fructus non producit, & aſperitatem quandam & ſtimulos præ ſe ferre videtur, quòd rei ruſticæ prorſum ſimus ignari. Deus verò huius artis peritus cùm ſit, vtile & generoſum diſcernit, & hæc omnia fortaſſe, quæ nos vehementer offendunt, vbertatis indicia eſſe cognoſcit. Ob eámque rem mirari debeat nemo, ſi tam benignè præſtolatur horam, & ætatẽ, virtutitis cooperatricem, qua natura opportunos & debitos fructus ferat. Iuſtiſsima deinde lex illa Aegyptiorum habita eſt, atque omnium pene gentium iudicio probata, quæ grauidam fœminam atrocioris cuiuſpiam ſceleris damnatam aſſeruare iubet donec pariat. Sic Deus Opt. Max. interdũ impium hominem, non ſtatim tanquam pernicioſam ſtirpem euellit, ſed expectat diu, quoad debitus ex ea fructus ſit productus & generatus. Si primi parentes (dic quæſo) propter peccatum inter ipſa naturæ primordia periiſſent, nónne ſimul humanum genus interiiſſet cum illis? Si impios Moabitas nõ tuliſſet tãta animi bonitate, nunquam

quam inde ſanctiſsima fœmina Ruth prodiiſſet: vnde Obed, Ieſſe, Dauid, & denique Chriſtus ipſe Ieſus natus eſt. Impios itaq; Niniuitas diu ad pœnitentiam expectauit ante prædicationem Ionæ, quòd ſciret fortaſſe quoſdam ex eis facturos ad virtutem & meliorem vitam regreſſum. Quis ergo non ſtatim impium Martionem, illiúſque ſectatores inconſideratæ temeritatis damnet, & tragico illo Oreſte, aut Athamante dementiores iudicet, qui legem & prophetas ab Euangelio ſeparare contenderent, imò Diuinam naturam in partes diuidere, quaſi alius fuerit Deus veteris teſtamenti ſæuus & crudelis, & in vltionē & vindictā impiorum propēſus, lenis alter & manſuetus, & benignitatis & clemētiæ ſtudioſus, qui Euangelij autor extiterit. Nam cum in prophetis legiſſet Deum vltorē eſſe, & furorem & conceptā iram multis exemplis erga homines declarauiſſe malè de ſe meritos, in nouo verò teſtamento lenitatem & manſuetudinem parentis cœleſtis à Chriſto explicatam videret, qui plueret, videlicet ſuper iuſtos & iniuſtos qui ſolē ſuum bonis & malis exoriri faceret, duos lōgè diuerſos, nō ſine ſumma ſtultitia Deos finxit.

Quis verò non intelligat, ſi Deus perfectus eſt(quemadmodum oportet)& vnum eſſe,& in ſe habere omnia? Quòd ſi duos Deos finxeris, vtriuſq; virtutē & poteſtatem infirmiorem effeceris,quia tātum cuique deeſt,quantum in altero fuerit. Quid quòd ſumma illa poteſtas nullam prorſum diuiſionem admittat? Quod enim diuidi poteſt, capax interitus ſit oportet. Quòd ſi à Diuina natura omnis ratio interitus longè debeat eſſe, relinquitur, non magis diuiſionem quàm interitum admittere. Qua ergò neceſsitate cogitur infœlix ille, Diuinam in partes ſecare naturam? Ne (inquit) optimo Deo ea nomina & appellationes tribuamus, quæ neq; ſapienti homini accommodare fas ſit. Tu verò medicum crudelem & ſæuum appelles, qui vt vniuerſo corpori proſpiciat,inutile & tabe affectum membrum amputat,& cōiunctas illi partes igne adurit? Tu iudicem accuſes qui ferro,qui igne, qui legibus mala compeſcat,nefarios homines corripiat,& Reipublica conſulat,vt peſtē omnem & luem diligenter ab illa remoueat? Multis aquarum alluuionibus, primum illum ſeculum poſtrema penè clade affecit, & amplisſi-

mas Sodomorum ciuitates funditus ſubuertit,ſed poſtquam illis longiſsima pœnitendi ſpatia permiſerat,&ad meliorem vitam multis modis excitauerat. Effudit in Aegyptios omnia malorum genera, vſque ad cordis duritiē, & animi obſtinationem (quæ inter grauiſsima ſupplicia debeat connumerari) ſed vexabat ſuperſtitioſos homines, qui Ibin potius & Crocodilum, quàm ſummum ac verum Deum colerent & venerarentur,qui hoſpitē Dei populum ad perpetuas dānatū operas,miſera & intolerabili ſeruitute premerēt. Cor Pharaonis indurat, ſed hominis exitio digni, qui Diuinos legatos toties affecerat contumelia, toties ſuo palatio ignominioſè deiecerat,qui populum Iſraëliticum ſuæ dementiæ & ſtultitiæ contra leges omnes & iura ſeruire coegerat. Immiſit ſæuiſsimos in pueros vrſos, ſed in prophetam Diuinum irreuerentes.Animaduerſione grauiſsima in tertiam & quartā generationem, flagitia & impietates hominum caſtigat, ſed vt poſteritati proſpicientes, Diuinis legibus obtemperarēt.Nam ſi ob eam rem ſæuum & immitem Deum illum iudicas, quòd in longiſsimam poſteritatis ſeriem ſcelera

caſtigat,cur non munificum appelles cum cuius voluntate parentum benedictio in filios etiam redundaret? Illud te fortaſſe vehementius offendit, quòd magni illius Dei mandato Hebræi ab Aegyptiis vaſa argentea &aurea repoſcunt. Sed ego te infœlicisſime arbitrum ſentētiæ expoſtulo. Vtriuſque gentis Hebræorū & Aegyptiorum cauſam cognoſce, ac deinde de autore præcepti iudica. Repoſcant Aegyptij ab Hebræis vaſa, Hebræi contrà, petiones inſtituant aduerſum Aegyptios. Allegabunt vtique illorum oppreſſores parentum nomine, ex eodem inſtrumento mercedem illis debere pro lateritiis deductis, pro ciuitatibus & villis ædificatis. Quid iudicabis? Hebræos fraudis damnandos, an Eegyptios compenſationem daturos? Fingamus Aegyptios per ſuos legatos ab Hebræis vaſa poſtulare, Hebræos autē ſuas operas, negantes ſatis eſſe cōpenſationi pondus illud auri & argenti. Nā ſi ſexcentorum millium opera hominū per tot annos æſtimentur, quod poſsit dignū præmium reddi incomparabili labori? Quibus itaque fauebis, repetentibus vaſa, an ædificantibus villas & vrbes? Quid ſi Hebræi

bræi oſtenderent ſcapulas ſuas apud ſubſellia contumelioſè dilaceratas? Non ſufficerent vtique omnes Aegyptiorum facultates huius contumeliæ compenſationi. Quid ſi Hebræi adderent liberos à ſe genitos Aegyptiorum exactione improba laboris interemptos debere ſibi reſtitui? Si ergo bona Hebrææ gentis cauſa, cur autorem præcepti, ſceleris & flagitij & crudelitatis arguis? Is quem ſæuum appellas (tua ignoratione deceptus) & ſe benignum per prophetas dicit: & ſummam animi lenitatem antiquitus multis in rebus declarauit. Seueritatem ſuam oſtendit, cum fœminam primam ad viri perpetua obſequia damnauit: idem ſuam bonitatem & munificentiam declarat, cùm illi poſteritatis incrementa ad tuendum genus humanum concedit. Terra illius maledictione percutitur, ſed poſtea gignendi fruges omnes, & ſponte ſuppeditandi cibos (ad tuendam animantium vitam) facultatem accepit. Lacrymis Ezechiæ Regis, & vitam & Regnum donauit, Babylonici tyranni pœnitentia flectitur ad miſericordiam:

populum Iſraëliticum toties reſtituit,quo-
ties à ſedibus &patria eiecit,toties recrea-
uit,quoties grauiter & acerbè afflixit. Et
vt exemplo vno rem fuſius tractatam le-
gentiũ oculis ſubiiciamus, qui per prophe
tam Nahum ſummam mentis indignatio-
nẽ in viros Niniuitas declarat per prophe-
tam Ionam deſtinatum exitium, clemẽter
auertit,& pœnitendi tempus impiorum ci
uitati,& hominibus malè de ſe meritis cõ-
cedit. Ob eámq; rem ſacer vates Nahum,
poſtquam Dei animũ ira & indignatione
cumulatum oſtendit,ſtatim illius benigni-
tatem celebrat, vt ab altero peccandi for-
midinem, ardentiſsimum Dei amorẽ con-
cipiamus ab altero. Fortẽ præterea illum
appellat, quem benignum dixerat. He-
bræa pro forti habent וּגְדָל־כֹּחַ quaſi di-
cas, magnus virtute,& vt alij vertunt,ſpe-
ctandus, magnificus. Iure etenim ei potiſ-
ſimum virtuti magnitudinem ſiue magni-
ficentiam propheta Nahum connexuit,
quam Deus frequentius declarare apud
mortales ſolet. Nam tametſi furore & indi
gnatione (cùm ſontes caſtigat) magnum
ſe atque potentem oſtendat: frequentius
tamen magnitudinem potentiámq; ſuam
declar

declarare ſolet, erratis hominum ignoſcendo,& illorum impietates patienter tolerando. Commodius multò quæ de fortitudine diximus (ſi Hebraici textus ſeriem attendas) cum ſequentibus copulentur, vt ſit ſenſus,

Benignus Dominus & fortis, mundans non facit innocentem.

DEus (inquit propheta Nahum) viros Niniuitas à ſcelere & perdita vita cohibendo, benignus eſt, & ſi illius potentiam attendas, omnia poteſt, ita vt nemine impediente, & in cœlo & in terra quæcunque ei fuerint collibita operetur. Sed cùm omnia poſsit, & ipſas naturæ leges fixúmq; & ſtabilem à principio ordinē, ſuo arbitratu interdum perturbet, imò diſſoluat: vnum eſt tamen, quod à condito homine, nunquam effecit neque efficit in poſterum. Nunquam enim ciuitatem aut Rempub. mundans quempiam innocentem facit, aut iuxta veritatem Hebræam, ſi id pateretur ratio Latini ſermonis, neminem innocentabit. Soluit aliquando magnas abyſſos, cum totū decreuit aquarum alluuionibus delere orbem, ſolem

medio cœlo ſtare fecit, & ad imperium fortiſsimi ducis Ioſue naturalem remorari curſum, ſiccauit maria, & inter ſtupentes vndas Iſraëlitico populo viam aperuit. Veruntamen is cuius tanta eſt virtus & fortitudo, vt totam ipſam naturam labefactare poſsit, ſummam in res omnes poteſtatem, nunquam ita declarauit à cõdito mundo, vt ex ſceleratis hominibus, quempiam tanquam inſontem & innocentem duxerit. Itaque ô viri Niniuitæ, cauete, in eam animi ſecuritatem longè perniciosam incidatis, quæ pleroſque fortaſſe in mortem & ſempiternum interitum egit tranſuerſos. Quanuis enim ſummus ille Deus, qui ad vos litteras mittit, omnia poſsit, & ſcelera ipſa veſtráſque impietates remittere, citra dolorem aut cruciatum mentis: tanta verò eſt illius æquitas, vt ſemel ſtatutam & promulgatam legem de ſceleris remiſsione nunquam abrogauerit, aut innocentem quempiam duxerit, quem peccati conſcientia accuſat. Diuina itaque Philoſophia, quæ mortalium mentibus curandis, fuit ab ſpiritu Diuino excogitata & inuenta, ita parentis Dei virtutes exprimit & declarat, vt ſingu-

lis

lis hominum ordinibus, officiis, actionibus, conſiliis in vniuerſum ſe accommodat. Nulla eſt actio vitæ, à communi vſu adeò remota, nullum negotium, ſiue publicum, ſiue priuatũ, cui in arcanis literis Diuina prouidentia non ita proſpexerit, vt omnibus ſummam æquitatis rationem, illarum ſtudio & aſsiduitate mortales ſeruare poſsimus. Nemini obſcurum eſt, ei homini, qui in cæteros obtinuit principatum, honeſtiſsimúmque tenet ciuitatis locum, tametſi omnibus virtutibus ſit egregiè cumulatus, vnã tamen maiori diligentia ſemper colẽdam, quam iuſtitiam communi voce appellamus, ſiue æquitatẽ, quæ maximè hominũ ſocietates retinet, & Rép. munificè tuetur. Hic animi habitus, ſuum vnicuiq; tribuit, nullius habito delectu, nullius ſpectata cõditione. Vt autẽ bonis & optimis viris, imperãte iuſtitia, honoris & dignitatis omnis debetur ratio, ita nefariis hominibus, & qui ſcelere ſemper & flagitio paſcuntur, dedecus, ſupplicia, pœnæ, Quanuis ergo Diuinæ literæ exemplaria virtutum omnium in Deo Opt. M. expreſſa imitando proponãt, principibus tamen, primariiſque viris, ſummã atque excellẽtẽ

illam,

illam, quam iuſtitiam ſiue æquitatem diximus, maximè commendant. Munus autem huius virtutis & officium eſt, vt ciuitatem ſiue Rempub. mundans, neminem faciat innocentem, vt ſacer propheta inquit. Nam quæ eſt illa æquitatis ratio, quæ cùm ſentinam impiorum delet, egerit, ex perditis hominibus & profligatis aliquot innocentes facit, id eſt, tanquam inſontes tuetur & fouet? Vera iuſtitia nullius perſonam intuetur aut ſuſpicit, tantùm conſiderat delicti cauſam, vt in omnibus æquabilitatē ſeruet. Eſt enim Princeps ipſe imago Dei (vt Plutarc. autor eſt) lex verò officiū Principis, legis autē finē iuſtitiā eſſe ambigit nemo. Quocirca cum iuſtitiæ munus ſit, ſua cuiq; tribuere, debeat Princeps & magiſtratus cum Rempubl. mundat, id eſt, omnem vitiorum ſegetem, & radices malorum extirpare contendit, neminem innocentem facere, quem vita incorrupta non fecerit inſontem. Si enim vel nobilitas ipſa, vel domeſticus ſplendor, vel diuitiarum opulentia, vel amicitia humana, vel affinitas, cæteráque id genus (quæ homines ſolent à iuſto & æquo deflectere) Principem, vel ad iniquam

quam pietatem, vel ad perniciosam miſericordiam traducat, quid obſecro eſſe poſsit, quod Rempu. ipſam, ab interitu & perditione vindicare poſsit? Quòd ſi principi imperare debeat lex, quæ omniũ eſt mortalium & immortalium Regina (vt Pindarus inquit) illa vtique Chriſtiano principi imperatrix eſſe debeat, quæ Diuina eſt, & ſacris eſt literis conſignata. Ratio enim humana (quam veteres Philoſophi libris omnibus, legibúſq; ſcriptis protulere) quam animatam legem dicebant, intus conuerſantem, in multis erret neceſſum eſt, Diuinis legibus deſtituta, & omni Cœleſti cohortatione deſerta. Multa ſunt quæ ad ferẽdas iniquas leges, homines excitent & impellant, vt proprius quæſtus, emolumentáque propria, magiſtratuum gerẽdorum ambitus, aliáque id genus quæ enumerare longum eſſet, ac penè infinitũ. Sed vna eſt (vt ego arbitror) cauſa præcipua, quæ leges nefarias, & Reipub. intolerabiles, & pernicioſas cudit: Diuinæ ſcilicet legis neglectus, ad quam ſemper leges omnes ab humana ratione excogitatæ & inuentæ eſſent exigendæ. Sunt principes & magiſtratus omnes, in procuratione homi-

mi

minum miniſtri, vt quæ bona generi humano dantur Diuinitus, ea ipſi inter homines, partim diſtribuant partim aſſeruẽt: & quod Polemo amori tribuebat (vt iuuentutis cura, adminiſtrationéque fungerentur viri primarij) id diligentius multo, in communi hominum vita & tutela exequantur. Quid obſecro iuuaret, ſi Aether terram vndique complexu ſuo ambiens, ſeminum principia hominibus commoda demitteret, terra exciperet, augeretur imbribus & ventis, aſtris foueretur: niſi vi ſolis eadem excitentur, ad ſpecies perpetuandas? Quid prætereà leges ſemper ab humana ratione profectas, promulgare & in lucem proferre, niſi Diuinæ legis luce & calore vitam accipiant, & neceſſaria incrementa? Sit ergo principibus tanquàm animata lex, ſummis magiſtratibus tanquàm conſultrix certiſsima; Diuina illa (à Sancto Propheta) expreſſa virtus iuſticiæ, quæ mundans nullum facit innocentem. Excitentur ſummi viri cum Deo Opt. M. (cuius in terris imaginem gerunt) ad punienda delicta, & tuendam innocentiam, iuſticiæ zelo inflammati & incenſi, & omnem
acerbit

acerbitatem indignationis, ad declarandam impij ſæueritatem oſtendant. Accedant ad inferendam vltionem magna cum moderatione animi: quam principi digna manſuetudo, & benignitas illius à nimo excitabit. Illud verò magnopere fugiendum, & auerſandum, ne vel ira inflammati, modum vltionis excedant, vel priuatis affectibus indulgentes (cùm ciuitatem vel Rempublicam expurgant) quempiam præpoſtera benignitate innocentem faciant. Eſaiæ capite 1. ſuam bonitatem & lenitatem animi declarabat Deus, cùm hoſtium miſerabilem interitum deploraret. Heu (inquit) quia vindicabor de hoſtibus meis. Cùm autem Rẽpublicam Iudæorum mundaret, & impios homines graui vltione corriperet, ſolam intuebatur delicti cauſam, neque ex ſontibus quempiam graui periculo liberabat. Chriſtus verò M. V. Lucæ decimonono, ciuitatem Hieruſalem videns, fleuit ſuper illam, vicinum interitum & cladem (à Romanis inferendam) mente complexus: cùm verò dæſtinatum Diuinæ vltioni tempus acceſsit, & impiorũ hominũ, & flagitiorũ colluuies eſſet ex Dei ciuita-

te pro

te profliganda, nullum innocentem fecit, neque cuiuſpiam intuebatur perſonam, ita vt illius ſcelus inultum abire pateretur.

Dominus in tempeſtate & turbine viæ eius, & nebulæ puluis pedum eius.

DIxi in ſuperioribus S. Prophetas, ea prodigia frequenter commemorare, quibus Deus Opt. M. aut totum orbem, aut gentes aliquot, propter illarũ impietates, grauiter afflixit. Hoc autem tanta diligentia Diuinos homines, adeóque frequenter effeciſſe crediderim, vt mortalium animos, ad rei conſiderationẽ excitarent potentiùs: & vt omni excuſſa ſocordia, mentíſque torpore, ſe ipſos homines erigerent, in ampliorem Diuinæ potentiæ cõtemplationem. Vix credere poſſis, quantam habeat vim ad permouẽdos, & concutiendos affectus, Diuinorum operum tam frequens repetitio, & quaſi renouatio. Principiò hæc audientes nos ipſos comprimimus, & cohibemus: cùm Diuinorum oraculorum ſalutari cohortatione intelligimus Diuinam potentiam, hodie atque olim impias gentes, nos abſumere poſſe. Nam cùm illarum (proh dolor) impietat

pietates & perditos mores, vel imitemur omnino, vel impudenter vincamus: fieri non poteſt, quin auditis prodigiis, quibus maiorum ſcelera Diuina virtus caſtigabat, ad mentem reuocati, grauiorem concipiamus formidinē, & vehementius pertimeſcamus Diuinas violare leges, & iuſſa contemnere, ne fortaſſe eandem in nos effundat pœnarum & ſuppliciorum vim. Aſſueſcimus deinde Diuinorũ operum frequenti commemoratione pietatis ſtudio, id quod omnium virtutũ primum ac maximum fundamētum eſt. Quis enim adeò propriæ ſit ſalutis negligens, aut cùm nefarios homines legit tā acerbè correptos, quòd erga Deum non ea fuerint religionis pietate defuncti, qua vehementius ille oblectaretur, non animum inducat vt purè & caſtè omnem tribuat numini ſanctitatis rationē, quæ ſola poteſt nobis Deum placatum efficere? Vno tantùm exemplo Chriſtus Ieſus M. V. vtranque huius Diuinioris Philoſophiæ partem commendabat, cùm Lucæ cap. 13. eorum periculo nobis conſulēdũ eſſe admonebat, quos turris illa Siloe, graui terræ concuſsione, non tamen ſine Diuinæ prouidētiæ conſilio cor-

ruens,ſubito & inopinato compreſsit. Ad-
hæc antiqua Diuinæ pœnitentiæ opera ſa-
crivates in mentem reuocant,quibus pro-
prium vindicabat contemptum, vt homi-
nes pietatis ſtudioſi, omnes humanas vi-
res minus expaueſcant, agnoſcentes Di-
uinam potentiam (quæ illas tam longo in-
teruallo excedit)ab ipſis operibus,quæ ſa-
cris ſunt literis conſignata. Nam quemad-
modum ea ſacra hiſtoria refert, ad cohi-
bendam impiorum hominum audaciam
& procacitatem: ita etiam ad erigendos
piorum animos in optimam ſpem,& vt o-
mni ſe fiducia illi permittāt, qui vt impios
& peccatores corripere, ita etiam & pios
tueri,& conſolari ſolet. Chriſtus R.N.(to-
tius orbis ruina imminente) iubet pietatis
cultores æquiori animo eſſe, iubet capita
attollere,omníque gaudio & lætitia per-
fundi,quòd quemadmodũ impiorum exi-
tium & perditio poſtrema, ita illorum ſa-
lus, vita, libertas, appareat. Inter cætera
verò ſummi Dei opera(vt in ſuperioribus
expoſui)illa ſolent libentius Diuini vates
proponere, quibus aut naſcenti orbi, aut
electo populo,antiquitus Diuina ſeſe de-
clarabat potentia. Ob cámque rem ſan-
ctus

ctus propheta Nahum, & turbinem, & tempeſtatem primò commemorat: ac deinde aquarum miracula, quæ in arcanis literis frequenter celebrantur, vario atque diuerſo genere carminis. Nam quæ duo loca ipſo ſcribendi initio propoſuit, de Diuina indignatione & potentia, tum de bonitate & lenitate à Diuinis prodigiis & miraculis, & confirmat ſapienter & artificioſè amplificat. Exod. 14. legimus turbinem ſiue vehementiorem ventum Aegyptiorum interitum præceſsiſſe. Iudicum 5. cùm Deus exercitum Siſaræ proſtrauit, in tempeſtate venit. Regum primi, cap. 7. precibus Samuelis flexus, Philiſtæorum acies turbine & grauiori tempeſtate exanimabat. Et quoniam vehementiori vento puluis excitatur, qui in modum nebulæ contrahitur, Nebula puluis Diuinorum pedum dicitur. Terra enim Eſaiæ ſexageſimoſexto capite, ſcabellum pedum Domini non ſine tropo appellatur. Sic cùm præclaram ab Aſſyriis liberationem & gratiſsimam libertatem polliceretur Iudæis apud Eſaiam prophetam voce, grandine, tempeſtate, turbine, & flamma ignis deuorantis, propria declarabat

conſilia. Sunt autem viæ Domini more ſanctarum ſcripturarum non tantùm Diuinæ mentis decreta, ſed & opera ipſa externa, quibus voluntas numinis mortalibus innoteſcit. Eſa.26. Iuſti homines viam iudiciorum Dei ſpectant, id eſt, actiones ipſas, quibus iudicia declarantur, & exempla Diuinæ iuſtitiæ, quæ nefariorum hominum conatus reprimere ſolent. Igitur quoniam inſigni aliqua mutatione Naturæ Deus Opt. Max. ſuam ſolet hominibus voluntatem inſinuare, & teſtari indignationem ſiue beneuolētiam, propheta Nahum grauem tempeſtatem & turbinem commemorat, quibus viæ Domini, ſtudia, conſilia, antiquitus declarata legimus Iudæorum populo. Neque enim vna tantùm ratione, ſpiritus ille cœleſtis homines ad beatiorem vitam & fœlicitatem inſtruere voluit. Sed varia vtique longéque diuerſa, vt quemadmodum non vna tantùm natura compactus homo erat, neque vno tantùm corporis ſenſu inſtructus, ita etiā ipſa erudiēdi hominis via, varia eſſet atq; multiplex. Secretiori enim quodā afflatu, principem totius hominis partem (mentem ſcilicet) docet, inſtruit, gubernat. Decebat enim

enim vt ſpiritalis ſubſtantia & inuiſibilis, ſpiritali etiam & inuiſibili illapſu, ad ſupremam fœlicitatem conſequendam deduceretur. Non tamen ſatis erat interiori illa mentis incitatione, hominem ad agnitionem conditoris Dei erigere, niſi exterius etiam per corporeos ſenſus, ſubſtantia illa quæ in nobis terrena eſt & materialis, in eandem appetitionem & cognitionẽ numinis & beatitudinis conſequẽdæ, deſiderium inflammaretur. In eam rem vtique, & literis Diuina conſilia & vocibus explicantur, vt vtroque ſenſu, menti & rationi maximè coniuncto Diuina exciperemus. Illud tamen ad formandos hominum animos, & concipiendas rectas de numine opiniones, commune omnibus magíſque expoſitum voluit eſſe doctrinæ genus, quod ab ipſo vniuerſitatis corpore, & natura rerum ducitur. Hoc enim templum orbis terrarum, omniũ mortalium oculis obiecit, vt illius pulchritudine, varietate, ordine, motus æquabilitate, gentes omnes intelligerent, qua mente, quóue conſilio hæc omnia adminiſtrarentur. Sed & illa, quæ hominibus confuſa & incerta videri poterant, vt turbines, tempeſtates, pluuiæ, nu-

bes,& eliſſorum fulminum ictus, in argumentum ſuæ potentia, hominis animo excutienda & inueſtiganda propoſuit, vt ea etiam quæ caſu incitari & perturbari videbantur, & errantis materiæ opera eſſe, magnum Diuinæ virtuti & potentiæ pondus apud mortales, & autoritatem conciliaret. Cùm ſint autem hæc inueſtigatione difficillima, quæ μετέωρα appellantur, ſempérque apud gentes omnes, magnam admirationem excitauerint: cùm verò illa quæ ab orbe condito fecit Deus, præter ſtabiles & fixas naturæ leges (de quibus magna eſt in ſcripturis mentio) potentius vtique & efficacius hominem erudire poterant, & ad cognoſcendam numinis virtutem & potentiam erigere. Nam quoniam ea quæ certa naturæ ordinatione fieri videmus, in ſublimi illa regione naturalibus cauſis homines tribuere potuiſſent: vt corporibus cœleſtibus & elementis caducis (quemadmodum Ariſtoteles primo Meteororum autor eſt) voluit Diuina natura noſtrarum vtilitatum prouida, eas etiã immutationes rerum efficere, cuius nullam inueſtigare potuiſſet cauſam, humana mens præter imperium

Diuin

Diuinum & voluntatem. Nam quæ, obſecro, cauſa reddi poſsit, illius miraculoſæ tẽpeſtatis, quàm placido ac ſereno cœlo ad deterrendos hoſtes populi Iſraëlitici, temporibus Samuelis ſubito erupit? Metu enim & deſperatione populo Hebræorum imminentibus, cùm Philiſtæi in procinctu ſtarent, conuitiiſquè gentem Iſraëliticam laceſſerent, terrà primò horrendè mota eſt, in patentémque hiatum ſubſedit. Secuta inde procella ingens cũ vẽtorũ turbine, quæ tanta vi afflauit aciem, vt huc atque illuc rotati milites in præceps acti, ſine imperio, ſine ordinibus attoniti, exuti armis, neque prælij, neque fugæ cõpotes paſsim diſiicerentur. Quanuis ergo ad exaggerandam Diuinæ potentiæ vim, ea potuiſſet propheta Nahum commemorare, quæ certo ſemper ordine fiunt, & æterna lege ducuntur: quæ tamen ſolutis naturæ legibus, priſcis illis temporibus Deus operabatur, prudenter ſatis in vnum quaſi locum contulit, vt tantarum rerum recordatio, viros Niniuitas, graui peccatorum ſomno correptos, & magna rerum ignoratione detentos, à ſcelere & flagitio

reuocaret. Poterant enim hæc antiqua Diuinæ potentiæ argumenta non omnino deſperatis animis & comploratis iam, timore incuſſo opportunè mederi.

Increpans mare, & exiccans illud, & omnia flumina ad deſertum deducens. Infirmatus eſt Baſan & Carmelus, & flos Libani elanguit. Montes commoti ſunt ab eo, & colles deſolati ſunt, & contremuit terra à facie eius, & orbis, & omnes inhabitantes in eo.

EA elementorum omnium prodigia, quæ Philoſophi appellauere naturæ miracula, & quæ apud illos plurimum habuere admirationis, partim propter ignorationem cauſarum, partim quòd ipſa per ſe ſatis eſſent magnifica, Diuina vtique erant, & eadem ſummi artificis ſapientia, qua cætera omnia extitere. Nónne magnum & admirabile videatur, quòd de aquarum ſub terris naſcentium cauſis & ingeniis, & vſus docet, & Diuina philoſophia frequenter celebrat? Nam quomodo ad continuandos tantorum fluminum curſus, terra ſufficiat; aut vnde tantum aquarum exeat? Illud etiam non minus mirandum, quòd exeuntium aquarum de-

trimenta non ſentiat. Quid eſt quòd illam ſic impleuit, vt præbere tantum ex recondito poſsit, ac ſubinde ſic suppleat? Quid, quòd Diuina philoſophia terram ipſam ſuper maria & flumina (labile ac fluxum fundamentum) libratam dicit? Ipſe (inquit propheta Dauid) ſuper maria fundauit eum, & ſuper flumina præparauit eum. Quibus (niſi fallor) ſignificare voluit interiora terrarum aquis abundare, nec minus ſtagnare, quàm apud nos Oceanus, imò eò magis, quò plus terra patet in altũ. Quemadmodum enim in exteriore parte terrarũ vaſtæ paludes iacent, magni & nauigabiles lacus, quẽadmodum ingenti ſpatio terræ maria porrecta ſunt, infuſa vallibus, ſic etiam & terræ viſceribus, quo nihil poſsit eſſe mirabilius. Itaq; ex illa profunda copia tot amnes egerũtur, quos terra detractos, mirandũ eſt, neque terram ipſam ſentire, neque maria excipiendo demutari. Plurimas præterea aquas, tum ſapor, tum calor, frigus, aliqua denique vtilitas inſignes reddit. Quædam oculos, quædam neruos iuuant, quædam inueterata, & à medicis deſperata vitia curant. Quædam medentur vlceribus, quædam inte-

riora foueri potu, & pulmonis ac viſcerum querelas leuant. Aliæ ſupprimunt ſanguinem, tam varius ſingulis vſus, quàm guſtus eſt. Quid ſi omnium infimum ac poſtremum elementum conſideres, videbis proculdubiò multa non minori digna admiratione. Nam quid eſt, quòd terram ab infimo mouet aliquando, aut quid tanti molem ponderis impellit, quod tantum onus vi ſua labefactet, cur modò tremit, modò luxata ſubſidet, nunc in partes diuiſas diſcedat, & aliâs interuallum ruinæ ſeruet diu, aliâs citò comprimat? Nunc omnis ingentis magnitudinis conuertit introrſus, nunc exprimit nouos, aperit aliquando aquarum feruentium venas, aliquando refrigerat, ignes nonnunquam per aliquod ignotum antea montis aut rupis foramen emittit, aliquando notos & per ſecula nobiles comprimit. Mille miracula mouet, faciémque mutat locis. Montes aliquando detuliſſe legimus, plana ſubriguiſſe, valles extuberaſſe, nouas in profundo inſulas erexiſſe. Quid ſi cætera elementa contempleris, quæ ſummi Dei potentiam à condito mundo mortalium mentibus mirificè commendabant? Erat

ſanè

ſanè mirandum, quòd ex omnibus omnia fierent, ex aqua aer, ex aere aqua, ignis ex aere, ex aere ignis. Idem de aqua & terra, duobus elementis grauiſsimis & cognatis maximè, denſiſsimis præterea, & in extremum mundi compulſis dixerim. Neque verò illud minus admirationis habet, quòd cùm venti totum aera impellant, non deficiat ſpatio ſpiritus, ſed per dies noctéſque æqualiter fluit, neque vt flumina certo aluео fertur, ſed per vaſtum cœli ſpatium lato impetu vadit. Itaque & elementorũ æternitas, & alterni recurſus, & totius naturæ partes ſic inter ſe põderibus cõſtitutæ & examinatæ, ne portionum æquitate turbata, mundus interiret, ſatis per ſe erat mirabilis. Erant vtique hæc omnia digna quæ hominẽ ſua magnificentia detinerẽt, & ab illo nulla mercede, ſed miraculo tantùm excuterentur. Nam tametſi nullum aliud fuiſſet pretium operæ, ſatis erat & ipſam noſſe naturã, & iſtiuſmodi cognitione autorem tãtarum rerum agnoſcere & venerari. Verùm hæc omnia miracula, quæ ſingulis naturæ partibus Diuinam virtutem & facultatem mirabilem exprimebant, & magni illius

artific

artificis ſapientiam, quaſi apertis vocibus celebrabant, partim ſua vetuſtate, partim humanæ mentis negligentia & torpore conſenuerant. Tum præterea gentes aliquot, eorum quæ diximus, admiratio à ratione & conſilio auertit, adeò vt elementa ipſa tanquam numina colerent, & varios ſexus illis tribuerēt maris & fœminæ, quo ſuperſtitionis genere Aegyptios fuiſſe detentos, nemo, vt arbitror, ignorat. Gentem itaque Hebræorum (quæ longa Aegyptiorũ conſuetudine, falſas omnino de rebus his opiniones, errores turbulentos, & ſuperſtitiones pluſquam aniles altius imbiberat) erudire cupiens, cùm ex miſera ſeruitute in libertatem gratiſsimam eduxiſſet, nouis in omni parte naturæ miraculis & prodigiis editis, veteres eripiebat errores, & pernicioſas ſuperſtitiones coarguebat. Principio ad declarandam ſuæ maieſtatis vim, inſectante hoſte populum ſibi chariſsimum, cum medio mari traiecit, ita vt per ſiccũ mediis aquis graderetur. Cùm Aegyptiorum tyrannus magna ſuorũ manu Hebræos inſequeretur, mare adhuc patens temerè ingreſſus, coeuntibus aquis cũ omni exercitu deletus eſt. Hoc proinde

aquar

aquarum prodigiũ & Propheta Nahum celebrat, cùm inquit, Increpans mare & exiccans illud. Et S. Propheta Dauid Pſal. 113. eleganter deſcribit. Vterque perſonã aquis affixit, quò lectorem potentiùs excitarent ad rem perpendendam. Nahum mare increpatum à Deo exiccatum illicò fuiſſe affirmat: Sãctus Dauid populo Dei cõſpecto, quaſi pauefactum aufugiſſe. Mare vidit & fugit &c. Tum prętereà quæ de fluminibus adiecit Nahum, eo ſanè ſpectant, vt antiquum miraculum oculis legentium ſubiiceret (imò Niniuitarum mẽtibus colluſtrandum proponeret) de quo magna mentio eſt Ioſuæ cap. 2. Nam cum ſacerdotes geſtantes arcam, pedibus ſuis Iordanis aquas attigiſſent, dirutus eſt amnis, párſque ſtetit vt murus, pars verò in mare ſalis defluxit. Vnde S. Propheta Dauid (inducto iam à nobis Pſalmo) venuſtiſſima interrogatione noſtros etiam erigebat animos, ad rem perpendendam diligentiùs. Quid eſt tibi mare quòd fugiſti, & tu Iordanis quare conuerſus es retrorſum? Vnde vobis hæc fuga? vnde tanta exagitatio accidit? quis tantum terrorem, quis tantam incuſsit formidinẽ? Hæc verò ma-

ris

ſicut Cedros Lybani. Huius montes arbores, quantum in auras ſurgebāt vertice (vt communis Hebræorum ferebat opinio) tantum radices mergebant ad ima, ita vt nulla tempeſtate quaterentur, ſed ſtabili ſemper mole conſiſterent. Cùm itaque de aquis Diuina virtute exiccatis mentionē intuliſſet, ea etiam commemorat quæ temporibus Heliæ geſta, Regnorū 4. legimus, de ingenti ſiccitate, quæ totam Paleſtinæ regionē abſumpſit. Nā cùm Rex Achab, impiæ Iezabelis ſuaſu eò inſaniæ proceſſiſſet, vt ſuper vitulorū cultum quem à maioribus acceperat, alienos etiam Deos cōplexus, lucos illis & aras, intra ſui Regni fines erigi paſſus eſſet: ad eum Helias venit, à quo monitus eſt fore, vt ob præſentē impietatem, ſyderis ardore, lōgáque Cœli intemperie, & ſiccitate incredibili, toto eius Regno fruges cum omnibus animantibus abſumerentur. Id ſtatim rerum ipſe euentus probauit. Nam tribus annis, & menſibus ſex, nunquàm terra illa (deiectis ſupérne imbribus) fuit made facta. Ob cāque rem, viror omnis tum herbarum, tum arbuſtorum, per id tempus, & omne denique quod vel ab oblectandos animos, vel

tuend

tuendam animantium vitam, neceſſarium erat, abſumptum eſt. Et quoniam ingens illius tēporis ſiccitas, & grauiſsimus æſtus, tribus illis montibus, Baſan, Carmelo, ac Libano (vtpotè vberrimis tota Palæſtinæ regione) ampliorem Diuinæ indignationis ſignificationem dedit, eos inter cæteros potiſsimùm commemorat propheta Nahum. Poſsit hic locus in aliū etiam ſenſum trahi, ſi ſanctarum ſcripturarum, prophetarum præſertim, tropos & loquendi figuras, diligētius animaduertamus. Conſueuere Diuini vates, montes, tanquam ſummæ ſecuritatis, ac certiſsimæ tutelæ, ſymbolum nominare. Quicquid præterea in mundo eminet, vt potentiā, ſapientiam, diuitias, cæteráq; id genus, imò & impios homines ſuis operibus intumeſcentes, appellatione mōtiū ſignificare ſolēt. Sic Aba. cap. 3. Aſpexit & diſſoluit gētes, & cōtriti ſunt montes ſeculi, & incuruati ſunt colles mūdi, ab itineribus æternitatis eius. Mōtes (inquit) & colles ſolo Diuino conſpectu ſoluti ſunt & perterriti. Nā cùm populū Iudæorū in terrā promiſsionis induxit Deus, principum, regum, ac ſapientum (omnium denique qui firma ſtabilitate cōſiſtere vi-

debantur) ſuperbiam & arrogantiam afflixit, protriuit, conculcauit. Nemo ignorat quid de Pharaone, quid de cæteris Regibus, qui impiis gentibus imperabant, referat ſcriptura ſacra, quorum fortunam Diuina manus incredibiliter depreſsit, vt Hebrææ gẽtis fœlicitatem extolleret. Eodem loquendi tropo Eſaias propheta vſus eſt, cùm de aduentu Chriſti, & fœlici promulgatione Euangelij vaticinaretur 40. cap. Omnis mons (inquit) & collis humiliabitur, ſeu clarius, incuruabitur omnis ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus ſolus in die illa. Sanctus propheta Dauid Pſa. 104. quo loco dira quædam aduerſum impiorum hominum arrogantiam, & impiam confidentiam à ſummo Deo imprecatur: montium appellatione, & nefarios ipſos, & illorum & ſuperbiam exprimebat. Tange montes (inquit) & fumigabunt, hoc eſt, corripe illos, ô Deus, tam graui ac dura animaduerſione, vt omnẽ ſuam fiduciam, potentiam, ſapiẽtiam, leuiſsimum fumum, & tenuiſsimum eſſe intelligant, qui oculos tantum excæcet, qui in auras & in nihilum ſoluatur. Itaque cum tres celeberrimos

montes

montes ſanctus propheta Nahum comme morat,non tantùm ſiccitates illas ĩgẽtes, quibus Deus frequenter à cõdito orbe terram afflixit, inſinuare voluit: ſed & omnẽ humanæ confidentiæ altitudinem,& quicquid inter impios magnum videtur eſſe & ſpectabile, id quod à Deo proſtratum atq; deiectum in arcanis literis,non vno tãtùm in loco legimus. Eſt autem locus aptiſsimus ad permouendos animos Niniuitarum,& concutiendos affectus,qui propter amplas fortunas,omniúmque rerum ſummam abundantiam,& florentiſsimum imperium ſecuri ſibi viderentur,& immobilem & æternam ſe cõſequutos arbitrarentur fœlicitatẽ.Sed ſuperior ille ſenſus mihi magis arridet, non tantùm quòd veritati proximus videatur, ſed quòd ipſam propheticæ orationis diſpoſitionẽ optimam, & ordinem rerum mirabilẽ in nullo prorſum perturbare videatur. Exponit deinde quarto loco horrendos illos terræmotus & cõcuſsiones,quæ deſcendẽte Deo in vertice montis Synai factæ ſunt. Hoc miraculi genus ſanctus propheta Dauid nobili proſequitur carmine, cùm loco ſuperius adducto montes ſubſilientes &diſcur-

rentes inducit ante conſpectum Dei deſcendentis in montem. Montes (inquit) exultauerũt vt arietes, & colles ſicut agni ouium. Et iterum montes interrogat, quæ fuerit cauſa tantæ huius commotionis. Quare (inquit) mõtes exultaſtis ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium? Ac deinde totam terram commotam & pauefactam à Diuino conſpectu oſtendit. A facie Domini (inquit) omnis terra, à facie Dei Iacob. Neque verò quempiam perturbare debeat quòd propheta Nahum cæteríque vates totam terram concuſſam ſignificent, cùm Deus Opt. Max. leges & inſtituta daturus in montem Syna deſcẽdit. Frequens enim eſt in ſcripturis arcanis hic tropus, vt per ſynecdochen, vel à parte totum, vel à toto partem intelligamus. Itaque tota terra & orbis, mõtes ſunt Syna cõiuncti, & vicina deniq; loca & montana. Habitãtes autẽ terrã aut orbẽ, Iudæi ſunt, ſiue finitimæ illis locis gẽtes, quæ cùm terram agitatam, & concuſſos montes viderent, & inſolitos audirent fremitus atque mugitus, grauiſſimo fuere terrore perculſi. Multa verò ſunt in verbis prophetæ, quæ diligentis lectoris animo ſcrupum fortaſſe iniiciant, ac

dubit

dubitationem. Principiò quid cauſæ fuerit, quòd Deus Opt. Max. legibus & inſtitutis veterem ſynagogam formaturus, tam horrendos tota natura excitauerit motus? Deinde cùm ſancti prophetæ aliis potuiſſent rationibus, & quidem validiſsimis, Diuinam hominibus declarare potentiam & maieſtatem, quibus ex cauſis frequentius argumenta ducunt ab eis prodigiis, quæ in monte Syna fuere cōſpecta. Nūquid præterea ad excitādos Aſſyriorum animos, & reuocādos à ſcelere & vita corrupta, aptus fuerit is locus à propheta abſumptus & explicatus? Priorem itaque quæſtionem illam expedire haud fuerit difficile, ſi aduertas, duo potiſsimùm eſſe, quæ ipſa legum Diuinarum priori inſtitutione ſpectabat Deus, alterum ad ſummam legis autoritatem pertinebat, alterum ad neceſſariam mentis humanæ venturis temporibus inſtitutionem. Nulla itaque illius ſit legis autoritas, cuius inuentor aut parum, aut nihil habet exiſtimationis. Ea enim lex indubitata inter homines cenſeri debeat, quæ ab eo fuit excogitata, in quo ſumma ſit amplitudo, qui ſit gloria clarus, in cuius non tantùm iudicio & ſententia pondus ſit, ſed

in nutu etiam reſideat autoritas. Opus eſt deinde populi accedat conſenſus. Nihil enim aut vitio deputādum ſit, aut virtuti, quod non ex volūtatis cōſenſu & arbitrio proficiſcatur. Sequitur vero ipſa voluntatis humanæ conſenſio, ſummam legiſlatoris exiſtimationem, atque illi facile cedit, & ſeipſam permittit. Quocirca ſummus ac maximus Deus, cùm Iſraëliticum populum legibus inſtrueret, ante conditas leges voluit, illius poteſtas, autoritas, amplitudo, oſtētis atq; prodigiis Hebræorum genti innoteſcere. Nam quo pacto vetus ſynagoga non ſe ab illo ducendam & moderandam per omnia permitteret, qui ſolo nutu & imperio tam horrendos potuit omni in parte naturæ concitare motus, & fixas à condito mundo immutare leges? Nam vt illud libens prætermittam, quod montana loca Syna, graui agitatione fuere conquaſſata, quòd nubium incredibili conflictu flammæ inter nubes ipſas, inſoluto lumine corruſcarent, quòd non tantùm fulgores, ſed & vehemētiora tonitrua crebrius audirentur, quæ ſatis per ſe poterāt Diuinam declarare potentiam. Illud ſanè legiſlatori Deo non potuit non conciliare ſummam

autor

autoritatem &existimationem apud gentem illam, quòd ſoluto totius naturæ ordine maria videret diſcuſſa, & ſtupentes aquas vtroque ex latere inſtar muri, ad Diuinum imperium & voluntatem pendere. Quid quòd duriſsima ſaxa in aquas ſoluta (vrgentiſsima ſiti totum exercitum infeſtante) conſpexit. Et vt nihil omitteret eorum, quæ rudem populũ & inertem ad mentem reuocare potuiſſent, gratiſsimis epulis cœlitus delapſis ante leges conditas, ingẽti miraculo homines illos ſuſtentabat, & per dies multos fulciebat. Hûc igitur prodigia illa, ſiue à ſancto propheta Nahũ expoſita, ſiue cæteris ſcripturæ partibus celebrata ſpectant, vt Deus Opt. M. admirandis operibus & inſolentibus, magnum & immortale apud Hebræorũ gentem propè amplitudinis & maieſtatis nomen conſequeretur. Vt quæ leges à tanto autore & moderatore proficiſcerentur, non minoris autoritatis eſſent, quàm Diuinæ. Quocirca cùm miraculis æditis fidem populi ſibi conciliauiſſet, iubet illico, vt Moſes coactis in vnũ primoribus Iudæorum, neceſſariam ad ferendas leges conſenſionem totius gentis efflagitaret. Omnes

verò libenti animo, propter conceptam de legiſlatore Deo ſummam fidem, pari voluntate, ſtudio, atque ſententia dixerunt, Cuncta quæ mandauit Deus faciemus. Neque verò quiſpiam exiſtimare debeat Deum Opt. Max. tot prodigia tam horrenda edidiſſe eam tantum ob rem, vt magnam apud Hebræos autoritatem conſequeretur. Voluit enim his omnibus portentis res vẽturas, vt arbitror, hominibus declarare. Nam vt ſcriptura ſolet, occultiores res, maximéque reconditas explicare, corporis habitu, & ratione temporis, ita etiam ab aeris qualitate & impreſsionibus. Quæ res, quoniam Commentariis in Apocalypſim Ioannis (ex ſententia magni Gregorij) & explicauimus & excuſsimus, diutius de illa dicendum non eſt. Illud tantùm leuiter attingendum, quòd horrendi videlicet naturæ motus, & graues concuſſiones, & fremitus, fulgura, tonitrua, cæteráque id genus, quæ grauem formidinem & pauorem hominum mentibus iucutere ſolent, in monte Syna conſpecta, abiectum & humilem animum illius populi exprimebant. Legibus enim Diuinis ſi vnquam obtemperarunt, quemadmodum mancipia

pia ſolent, id faciebant, & ſeruorum ſpiritu ducebantur, non filiorum (vt Paulus autor eſt) qui à Chriſtianis hominibus ſpiritum illum ieiunum, & anguſtum excutit dicens, Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis, iterum in timore, &c. Atque hæc ſit alterius quæſtionis explicatio. Sed & quæſtio illa tertio loco propoſita, huic quodammodo connexa & colligata, in hunc modum ſit expedienda. Nihil potuiſſet propheta Nahum adducere ad excitandos Aſſyriorum, imò omniũ noſtrûm animos, vt reiecta priori vita, ad virtutem & meliorem frugem faciamus regreſſum, quàm ea, quæ ſummus Deus ab egreſſu populi Iudaici de Aegypto, ſtupenda fecit opera. Principiò cùm magnum habeat pondus, ad numen rectè colendum, & vt purè & caſtè illi omnem iuſtitiam ſanctitatémque tribuamus, Diuina ſtudia & conſilia habere explorata, quibus bonis & optimis ſemper fauet & proſpicit, impios & ſceleratos arguit, affligit, caſtigat: ea vtique argumentationis ratio potentius & viros Niniuitas, & cæteros omnes ad mentem reuocabit, quæ tota verſatur circa prouidentiam Diuinam, quæ chariſsimum ſibi populũ tue-

batur ab improbis, & illius hoſtes perturbabat, deiiciebat. Quæ quoniam ipſo filiorum Iſraël è miſera ſeruitute egreſſu, & Diuinis præterea operationibus, quibus electos ab impiis ſecernebat maximè perſpiciuntur, relinquitur: & ad excitandos Aſſyrios, & flectēdas impiorum hominum mentes, aptiſsimũ fuiſſe à ſancto propheta Nahum locum ſuſceptũ. Quo maior præterea eſt rerum ordo & diſpoſitio, & naturæ leges magis ab omni perturbatione remotæ, eo maior virtus illa debeat eſſe, quæ ordinatiſsimũ totius naturæ curſum ſoluere debeat, aut confundere. Quòd ſi Diuinæ potentiæ omnia, rerum naturis propugnantibus ceſſere, & ad illius nutum mare in partes diuiſum viam præbuit Iudæorum genti, ſaxa ſoluuntur in aquas, aer ſolidos miniſtrat cibos, terra concutitur, loca montana flammas ignis euomere videntur, nónne poſtremæ dementiæ ſit, vel Aſſyrios ipſos, vel cęteros homines qui multis ſe ſceleribus addixere, Diuinæ potētiæ & virtuti velle repugnare? Quæ ſunt omnis ſenſus & rationis expertia (totius naturę) quaſi ad poſtremũ gradũ depulſa, atq; depreſſa conditoris Dei potentiã & maieſtatem

ſtatem venerantur:homo mentis & rationis particeps,cui Diuina eſt ſimilitudo impreſſa,parentẽ Deum,quocũ incredibilem habet affinitatẽ non agnoſcat,colat, veneretur?Deinde verò ſi humana ſapiẽtia nobis fortaſſe ampliores animos facit, & animi arrogantiã & contemptũ Dei ſuggerit, nónne humana ſapiẽtia eis operibus,quæ à propheta Nahũ exponũtur,cõfuſa,&quaſi rubore affecta,ſe oſtẽdit? Vbi quæſo ſunt pronũtiata illa,vbi ſententiæ Philoſophorũ,quibus illorũ ſcholæ antiquitus cõcrepabãt,de aquarũ natura,de perẽni ſolis agitatione,de natura mixtorũ,déq; aliarũ rerũ omniũ ingeniis & ꝓprietatibus?Euolue diligẽtius Diuinas literas,repete antiquitatẽ ſacræ hiſtoriæ,videbis illico ſapiẽtiã humanã cõfuſam & perturbatã, è medio hominum cœtu ſe eripientem, angulos & latebras quærentem , & præ pudore humanos conſpectus ferre non poſſe. Sed neque illud minus ad rẽ pertinere videtur, quòd cùm Aſſyrij per id tempus, fœlici fortunæ, & ſine vlla offenſione , curſu, ac florentiſſimo præterea imperio intumeſcerent,iure montes & colles (more ſanctarum ſcripturarum) appellari potuerit. Quocirca

ſin

ſingulari artificio propheta ad declarandam Diuinam virtutem & potentiam ea maximè commemorat, quę ſummus Deus fuiſſet operatus ipſo filiorum Iſraël egreſſu è miſera ſeruitute. Tunc enim mõtes & colles ſublimes & in altũ euectos, hoc eſt, Principes Reges faſtu & arrogãtia tumentes, vt Og regem Baſan, & Seon regem Amorræorum potentiſsimè deiecit, vt eſt in arcanis literis proditum. Itaq; vt aliorũ incommodis ſibi Niniuitæ conſulerent, publicam illarum rerum memoriam, & vetuſtiſsima ſcripturarum monumenta illorum oculis ſubiecit.

Ante faciem indignationis eius quis ſtabit? quis perſiſtet in ira furoris eius? Indignatio eius effuſa eſt tanquam ignis, & petræ diſſolutæ ſunt ab eo.

EXpoſita Diuina potentia, cui vniuerſa natura cedit, & ad nutũ obſequitur: Aſſyrios interrogat, imò impios omnes, qui quemadmodum olim Aſſyrij Diuina omnia aut negligũt prorſum, aut cõtemnũt: & bonitate Diuina, & ſumma animi lenitate, in ſuã perniciem & exitiũ abutuntur. Redditur comminatio ipſa interrogatione acrior multò ac vehementior.

Non

Non enim interrogat ſciſcitandi gratia, ſed inſtandi. Ardet ſanè tota oratio, multo magis quàm ſi dixiſſet ipſe Propheta. Nemo ſtabit ante faciem eius, nemo perſiſtet in ira furoris eius. Si tanta (inquit) eſt ſummi Dei potentia, nonne ſtultum planè ſit, ei velle repugnare & obſiſtere? Nã quid ſit propter quod tantam vobis ſecuritatem polliceamini? Confidentiam veſtram omnem in armis, vallis, ſeptis, munitionibus deniq; fortaſſe collocaſtis. Sed quis locus illi poſsit eſſe munitus & clauſus, qui innumeras ab orbe condito ciuitates, natura munitas, portubus ſuccintas, armatas muris, partim armis, partim incẽdiis, lue, & peſte, & terremotibus funditus ſubuertit? Diuitiæ & opes quibus vſq; admiraculum abundatis ampliores animos vobis faciunt, aut imperium toto orbe florentiſsimum, militũ copia, & audacia, Regis veſtri induſtria circa res bellicas? Sed ô poſt hominum memoriam ſtultiſsimi omnium, eúmne, qui tempeſtates ciere, terram graui agitatione cõcutere, maria ſcindere, flumina exiccare, & in aduerſos impellere curſus, totam denique naturam labefactare poteſt: veſtra hæc præſidia remorab

morabuntur, & retardabunt, quo minus aduerſum ſceleratos & flagitioſos, omnē inferat pœnarum & ſuppliciorū vim? Præcauete potius, ne fortaſſe calamitas remorata, & collecta multis temporibus indignatio, magno effuſa impetu, longiùs ſerpat, atque progrediatur. Illud verò ex linguæ ſanctæ proprietate eruendum, quod ad venuſtatem orationis propheticæ magnum (vt arbitror) momētum habet: & elegantem hypotypoſim hominis indignati, & cupiditate vindictæ inflammati noſtris oculis colluſtrandam proponit. Habent enim Hebræa hunc ſenſum: Quis conſiſtet à furore naſi illius? Eſt enim reſpiratio in naſo poſita: atque inde halitus hauritur, & concitato animo intumeſcunt illicò partes illæ. Vnde Hiſpanè dicimus, hinchar los narizes, pro commoueri, & incandeſcere ira, aut furore corripi. Quocirca Symmachus Hebraicè doctiſsimus, naſum vertit pro furore: tùm quòd furor & indignatio in naribus potiſsimum perſpiciatur, tùm quòd Hebræa dictio אַף & vultum & nares ſignificet. Eſt itaque *αὐθρωποπάθεια*, qua incredibilis animi incandeſcentia ſignificatur. Sic Homerus cùm

Græc

Græcos & Troianos ad arma vocat, vt e-bullientem illorum animis iram ſubindicet, naribus ſpirantes inducit: quòd hoc ſit certiſsimum veſtibulum, per quod indignatus animus ſeſe exerit. Abſoluta cõcitatiori orationis parte, & figurata oratione Aſsyriorum animis excitandis aptiſſima, & cauſam interrogationis exponit: & quare non poſsint Diuinam vltionem aufugere, aut retardare, declarat. Indignatio eius (inquit) effuſſa eſt tanquàm ignis; & portæ diſſolutæ ſunt &c. inexplicabilem hoc loco vltionis vim eleganter ſanè Propheta expreſsit: ſumpta dicendi figura ab his quæ ſcriptura Diuina de Sodomorum excidio commemorat. Geneſ. 19. legimus depluiſſe à Deo ſuper Sodomã & Gomorram, Sulphur & ignẽ. Quocirca cùm grauiùs aliquod ſuppliciũ, aduerſum impios homines prophetæ intentant, Sodomorum excidium minantur, tametſi nullam vnquam gentem, ad eundem per omnia modũ, quo Sodomitas perdiderit. Horum ſiquidem exterminiũ, propter ſuã celebrem immanitatem, pro qualibet duriori vltione à ſanctis vatibus vſurpatur. Deuteron. 28. Sanctus Moſes his qui ad idola

idola gentium(contempta Diuina religione & cultu)defeciſſent:prædicebat fore,vt tota illorum terra eſſet Sulphur, Salinæ, cōbuſtio,quæ nihil germinaret, in qua nihil ſeri poſſet, nullam herbã produceret, ſed eſſet ſicut euerſio Sodomæ,& Gomorræ, Adamath, & Seboim, quas Dominus indignatione feruens euertit. Eandem vltionem Eſaias 13.Babyloniis minatus eſt, Hierem.49.Idumæis.Amos 4.Iſraeliticis, Soph.2.Moabitis.Ex his ſatis ſupérq; manifeſtum arbitror,Proph. Nahum (quemadmodum cęteri vates)ſolenni more, tum effuſam indignationem, & ignem & ſoluta ſaxa commemorat, Aſſyriorum euerſionem, per Antonomaſiam, veteris excidij Sodomorum, memoria denotauiſſe. Solet autem ſcriptura Diuina, impiorum vltionem ſemper ita deſcribere, vt ſubitã eam faciat, & res hominum irreparabiliter impediat, intricet, perturbet, confundat,denique & abſumat. Quod autem noſtra tranſlatio habet, Effuſa eſt tanquam ignis Hebraicè נִתְּכָה בָאֵשׁ poſsit verti, cō flatur vt ignis.Sic enim Aquila(cuius verſio à Diuo Hierony. vehementer probatur) tranſtulit συνεχονεύϑη Symmachus

ἔστα

ἔσταξεν, ſiue diſtillauit. Quibus omnibus fa
cile liceat colligere, quodnam fuerit pro-
phetæ conſilium, cùm Diuinam indigna-
tionem, aut effuſam, aut conflatam, aut
ſtillantem deſcripſit. Diuinæ itaque mẽtis
indignationẽ noſtris impietatibus ſenſim
primò conflamus, nam creſcente peccato-
rum cumulo, Diuina ipſa indignatio cre-
ſcat neceſſarium eſt, magnáſque nobis ſup
pliciorum acceſsiones faciamus. Paulus il-
le gentium doctor, quò impios homines à
peccandi longiori conſuetudine reuoca-
ret, theſauros Diuinæ indignationis, &
quaſi multo tempore congeſtas opes, pœ-
narum & ſuppliciorum, mortis denique &
interitus commemorat. Theſaurizas (in-
quit) tibi iram in die iræ & reuelationis iu-
ſti iudicij Dei. Vt enim egregiis pietatis
operibus, ipſóque rectè operandi vſu, in-
credibiles Diuinæ beneuolentiæ diuitias,
& bonorum omnium copiam, in vnum
quaſi locum conferimus, ſuo tempore de-
promenda, ſic etiam & de peccandi lon-
giori ſtudio ſtatuendum arbitror. Frequẽs
eſt in arcanis literis hic loquendi tropus,
qui & iuſtis & impiis congerendi opes, ſiue
indignationis, ſiue Diuinæ gratiæ ſtudium

tribuit & diligentiam. Primus itaque aditus & quaſi gradus ad interitum & perditionem peccatoris hominis is eſt, conflare videlicet Diuinā iram, vt opportuno tempore, aut ſtillet, aut magno effundatur impetu, inſtar erumpentis ignis. Tanta verò Diuina bonitas eſt, vt cùm longiori peccandi conſuetudine theſauros indignationis & iræ cōgeſsimus, ad vindictam ipſam lentò ſemper gradu procedat. Solet enim (vt Symmachus dixit) iram ſuā ſenſim veluti ſtillare, vt minori noſtro malo, quantum fieri poteſt, ad mentem reuocet. Eleganter verò ad explicandam Diuinam indignationem, & ardorem irarū propheta ignē cōmemorat, & vt mētis obſtinationem Aſſyriorum exponeret, lapides ſiue ſaxa. Nam quemadmodum altero incredibilem vim abſumēdi & potentiam inſuperabilem, ita etiam & altero ſtuporem mentis & duritiem ſapienter profectò explicauit. Nemo ignorat inter cætera elementa totiúſque naturæ partes, quæ vehementes ſunt, magníque impetus, ignem primum tenere locum. Neque enim vlla eſt tota natura vis, quæ obuia, quæq; tam potenter exagitet, adeóq; celeriter conſumat. Quo-
circa

circa vt alias cauſas prætermittamus, quæ ſunt innumeræ, propter quas Deus antiquitus in igne ſui declarabat præſentiam, illa eſt, vt arbitror, longè certiſsima, quòd hoc elemento impiis hominibus & nefariis mentibus ſignificaret, & inſuperabilem ſuam potentiam & vim, cui nulla humana induſtria poſſet obſiſtere, & grauiſſima præterea ſupplicia, & intolerabiles clades celeriter inferendas. Viſus eſt ſancto Moyſi aliquãdo in rubo ardẽti, cuius radices & ſumma ramorũ cacumina ignis occupabat. Non tantùm, vt Græcorũ quidam dixere, quòd ignis nullam præberet intuentium oculis effigiem, aut vultum, quẽ humana manus exprimere potuiſſet, periculũ enim erat, ne fortaſſe Iudæorum populus, vt erat in idololatriã propenſus, in tam immane prolaberetur flagitiũ, ſed quòd ignis ſymbolum eſſet excidij grauiſſimi gentis Aegyptiæ, & horrendæ prorſum ac formidandæ cladis, qua erat totam illam regionem deuaſtaturus. Occupabat quidem ignis rubum ab imis radicibus, cuius tamen neque folia, neque fruges læderet, nam populum Iſraëliticum, quæ Aegyptios potentia Diuina atque indignatio,

penitus abſumpſit, nulla in re prorſum lædebat, ſed tuebatur potius, atq; ab impiorum improbitate vindicabat. Itaque cùm Diuina indignatio in gentem Aegyptiorum magno impetu effunderetur, omniáque ea regione abſumeret & deuaſtaret, & obſtinatas mẽtes tanquam ſaxa duriſsima diſſolueret: populus tamen chariſsimus Deo inſtar ardentis & incombuſti rubi omni fuit moleſtia, dolore, & cruciatu liber. S. propheta Ezec. priori ſuorũ vaticiniorũ cap. ardentis ignis, & inuoluti imagine, vicinũ Iudaicæ gentis interitum declarabat, ſolenni ſanctarum ſcripturarum more. In eam rẽ ſpectare mihi videtur ignis ille cœlitus delapſus, qui ſuper Apoſtolorũ ſenatum viſus eſt linguarũ effigie. Nã tametſi linguarum illa ſimilitudo vberem dicendi facultatem, & peregrini ſermonis peritiam præ ſe ferret: dubitare tamen non poſſum, quin ignis aut certiſsimam numinis præſentiam, ita etiam grauiſsima incendia toto orbe concitãda denotaret, quæ partim humanarum mentium rigorem, & contractam longa peccandi conſuetudine duritiem ſolueret ſaxorum inſtar, partim Apoſtolos ipſos cæteróſque orthodoxos, qui

Chriſt

Chriſtum cultu & religione proſequeren-
tur, vt aurum ſolet, probarent. Viros pro-
inde Niniuitas ſanctus propheta & ignis,
& ſaxorum appellatione vehementer hor
tatur, & commonefacit præſentes ad rem
expendendam, animos præbeant, ſtupore,
& duritie depoſita, blandos & tractabiles.
ne fortaſſe indignationis Diuinæ ignes &
incendia ſuo malo experirentur. Non fuit
inſolens apud gentes, ignem pro indigna-
tione vſurpare. Nam Pythagoras Græcæ
philoſophiæ parẽs, inter ſymbola illa quæ
ad retinendas publicas amicitias excogi-
tauit, hoc etiam contulit, Ignem gladio ne
confodito. Quemadmodum enim bono-
rum amor conciliandus eſt, ita non eſt
commouenda cuiuſquam iracundia. Ignis
itaque æſtuantem iram, gladius verò oc-
caſionem & ſtimulos, commoto animo &
concitato oblatos ſignificabat.

*Bonus Dominus & confortans in die tribulatio-
nis, & sciens ſperantes in ſe.*

RAbi Dauid Kimhi, vir præclara in-
ter Hebræos eruditione atque do-
ctrina, Commẽtariis in hunc locum,
ad conſolationem & leuamen Iſraëliticæ

gentis, miſera captiuitate & mœrore inter Aſſyrios confectæ, oraculum prophetæ pertinere arbitratur. Bonus (inquit) eſt Dominus, & confortans eos, qui omnem ſuam fiduciam in illius bonitate & munificentia collocarunt. Nam Iſraëliticum populum gladio & armis Nabuchodonoſor Regis Aſſyriorum, & imperio ſubacti & afflicti, in antiquas ſedes & domicilia reſtituet, & grauiſsimã de hoſtibus vindictam ſumet. Neque enim poſsit bonitas illa electum ſibi populum, ſummo dolore atque mœſtitia poſitum, gementẽ, illiúſque præſidium implorantem & ſupplicantem in tam graui vulnere non audire. Antiqua eſt hæc ſententia, quæ vetuſtiſsimis Hebræorum literis & monumentis continetur, quam Diuus Hieronymus & Lyranus ſuo iudicio & autoritate probarunt. Neque verò omnino reiicienda hæc exiſtimatio mihi videtur, modò prophetæ oraculum ad tantas rerum & verborum anguſtias non conferamus. Cùm enim ſit latiſsimus ſententiæ propheticæ campus, cur in angulos & dumeta Hebræorum eam compellemus? Nam tametſi Hebræorum interpretamentis ſit interdum adhibenda fides,

propter

propter linguæ cognitionem exactam, & rerum geſtarum memoriam: ſunt tamen multa apud prophetas, quæ anguſtiæ pectoris Iudaici non capiant, neque incredibilis animi egeſtas recipiat. Duo ſuſceperat ſanctus propheta(vt in ſuperioribus di ximus)ſuis literis illuſtranda, Diuinam po tentiam rebus omnibus ſuperiorem, & bonitatem præterea, quæ vna virtus cùm ad multitudinem maximè pertineat, & cum beneficentia ſit coniuncta, ſummo Deo propriam eſſe, & veluti naturalem facilè perſpicitur. Eam appellationem frequenter ſacræ literæ illi tribuunt, non tantùm quòd liberalis ſit & munificus, ſed quòd omnes propria natura rationes boni complectatur, delectabilis, vtilis, honeſti, quæ ſunt ipſo mundi opificio declaratæ & expreſſæ. Proditum iam olim a ſummis Philoſophis legimus, boni nomenclaturam, Diuinæ naturæ iure deberi, cætera aut nõ eſſe bona appellãda, aut ſimilitudine quadam & imitatione tantùm, in partem eius appellationis venire. Mercurius ille, qui poſt Moſem primus omniũ naſcentẽ philoſophiam illuſtrare cœpit, omnẽ boni rationem Diuinæ naturæ ita accõmodabat,

vt cæteris rebus eam adimeret. Cuius ſententiam Plato, & argumentis, & propria autoritate (quæ magna eſt) atque Plotinus huius diſcipulus confirmarunt. Quæ cùm ratione tantùm, & naturali inſtinctu intelligerent, profanæ philoſophiæ cultores, dubitare non poſſum, quin illorum animis comprehenſa ſententia & opinio, partim à mundi creatione, partim ab ordine & gubernatione vniuerſi duceretur. Nam vt Diuina bonitas ſui diffuſione in totius vniuerſitatis corpus, bonū declarabat opificem, ita etiam ſingulari quadam ratione, ordinatiſsimus rerum motus, concentus & ordo, æquiſsima prouidentia omnium, & humanarū maximè adminiſtratio rerum, illorum mentes excitabat & impellebat, vt non tantùm tacito quodam animi ſenſu & indicio, ſed & literis, & publico docendi munere, bonitatem ſummi Dei venerarentur ipſi, & alios colendam docerent. Igitur cùm propheta Nahum bonum appellat Dominum Hebraicè טוב quanuis more ſanctarum ſcripturarum, omnem fortaſſe bonitatis rationem, citra germani ſenſus offenſionem vllam, Deo Op. Max. tribuat, ad ſimilitudinem tamen veri, magis (vt mihi

mihi videtur) accedit, vt bonitatis ratio ab ipſa prouidētia Diuina, & rerū humanarū cura & procuratione, quæ Diuinis eſt literis comprehenſa trahatur. Vt enim in ſuperioribus, Diuinam potentiam inſuperabilem eſſe oſtendit, à Diuinis legibus & antiquis ſanctarum ſcripturarum monumentis, argumenta & loquendi formulas petendo, ita etiam de iuſtorum cura & prouidētia, qua ſuam bonitatem Deus à condito homine declarauit, dicturus paucis quidem, ſed ſelectis & magno iudicio excogitatis verbis inquit, Bonus Dominus & confortans in die tribulationis, & ſciens ſperantes in ſe. Itaque vt prophetæ oraculum genti Iſraëliticæ magnam videatur polliceri inter labores, & excellentem animi conſolationem: eam tamen vates altius repetita oratione, quaſi memoriam vetuſtatis cōmemorans, ab his, quæ Deus Opt. Max. priſcis illis temporibus ad tuendam innocentiam magnificè & liberaliter fecit iuſtis omnibus, Deóque chariſsimis promittit. Duo ſunt proinde quæ Diuina bonitas, veris pietatis cultoribus præſenti loco pollicetur. Alterum eſt inter cruces & labores, & huius mundi acerbitates in-

numeras, ſalus atque libertas, alterum proſpectio atque cura ſingulis eorum actionibus & ſtudiis, vt fœlici tandem & ſine vlla offenſione, rerum exitu potiantur. His duobus argumentis (ſi rectè aduertamus) Diuina natura ab ipſo mundi exortu, dominam ſe ac moderatricem omnium rerum declarabat, ne fortaſſe humanus animus pernicioſa illa rerum ignoratione laboraret, exiſtimans nihil illius ditione aut numine in mundo geri, neque Deum aliquem eſſe de bonis viris optimè merentem. Petrus Apoſtolus altera Canonica, cap. 2. eiſdem penè rationibus & argumentis, ab ipſa ſanctarum ſcripturarum antiquitate quæſitis, poſtquàm impios homines vehementer deterruit, propoſitis Diuinæ iuſtitiæ exemplis, de angelorum caſu, qui cùm Diuino beneficio & munere in ſuperbiam abuterentur, è cœlo deturbati, detracti in caliginem, perpetuis ignibus cruciantur, de miſeranda totius orbis clade pertinaciter in ſuis ſceleribus ſordeſcentis temporibus ſancti Noe, qui eo ſeculo Diuini verbi eccleſiaſtem egit, de quinque illis ciuitatibus, quæ in æternum Diuinæ ſeueritatis exemplum, igne

cœlit

cœlitus eiaculato conflagrarunt, vt iuſtos deinde ad expectationem meliorum erigeret, pauca illa verba ſubiecit, pietatis & conſolationis plena. Nouit Dominus (inquit) pios homines de tentatione eripere, & iniquos in diem iudicij reſeruare cruciandos. Confirmat deinde aſſumptam rei propoſitionem, exemplo ſancti Loth, qui cùm ab improbis hominibus & nefariis iniuria & violentia afficeretur, in illius ædes impudentiſsimè irruentibus, vt illas execranda libidine contaminarent, quæ nunquam alicui patuiſſet flagitio, iuſtum hominem grauiſsima tentatione eripuit, & ſuam erga illum bonitatem, de qua diſputamus, declarauit, & perditorum hominum impietatem grauis & inaudita vſque ad tempus illud vltio ſequuta eſt. Sed vt proximum ad rem firmandam & declarandam, ex Hebræorum & Lyrani autoritate adferamus exemplum. Sennacheribus (vt Regnorum hiſtoria refert) innumeris per totam Palæſtinam vrbibus captis, contra Hieroſolymam victor caſtra admouit. Cùm ergo legati ſupplices ab vrbe ad Aſſyrium veniſſent, Sennacherib iureiurando
affirm

affirmàbat fore, vt ſi trecenta talenta auri ſibi penderentur, Hieroſolymitani regni finibus pacatus excederet. Itaq; cûm Ezechias ex fide imperatam ſibi auri & argẽti ſummam exolueret, Sennacherib verſo in Aegyptios & Aethiopas bello, partem copiarum ad Regiæ vrbis obſidionem continuandam reliquit, tanquam multum intereſſet, per ſe, an per alium fieret, quod nefas eſſet facere. Ezechias vbi vrbem nihilominus obſideri vidit, fractus animo, in preces & vota (quod vnum ſupererat remedium) cõuerſus, ſaccum induit: Eſaiam rogat, vt precibus, ſi fieri poſsit, præſens excidium ſibi & patriæ deprecetur, veniámque impendentium malorum imploret. Huius oraculo iuſſus eſt Ezechias in poſterum ſperare numinis certiſsimum auxilium. Trahebatur itaque obſidio cum graui peſtilentia Aſſyriorũ caſtris repente orta, ita vt paucis diebus mortalium vis ingens, vita fuerit defuncta, ſi profanæ hiſtoriæ vlla eſſet adhibenda fides. Sed ſacri libri, atque Ioſephus item, nocte vna in his caſtris ad centum octoginta millia hominum periiſſe certò affirmant, non ſine numinis prouidentia.

Eam

Eam ergo in ſpecie bonitatem vates commendat, quam erga Hebræorum gentem Deus.Op.M.declarauit, quam etiam cùm Regem Ezechiam hoſtili liberauit terrore, & præſenti periculo ſeruauit. Nemo itaque exiſtimet Deum iuſtorum immemorem cùm illos omnibus fortunæ telis videt expoſitos. Ea eſt enim Domini ſapientia, bonitas, iuſtitia, vt nouerit quid, quando, quomodo gerenda, faciendáve ſint omnia, quid cuique debeatur, quantũ cuique conceſſum, quantum quiſque iuſtorũ in laboribus progredi debeat, quouſque tandem furere debeat effrenis impiorum licentia. Sunt tem pora quædam, Diuinis conſiliis apta & opportuna (quando rerum omnium vertantur vices) & quæ ſolus Deus nouit: quibus qui variis afflictionibus agitabantur, gaudio & beatitate fruerētur ad ſaturitatem, qui fœlici per omnia & ſine vlla offenſione, fortunę vtebantur curſu, grauiſsimam Diuinæ vltionis ſentient vindictam. Erat altera huius oraculi pars, quæ ad conſolandos pios animos & erigendos incredibilem (vt mihi videtur) vim habet. Sciens (inquit) ſperantes in ſe. Frequens eſt hic loquendi tropus

in

ſcripturis,quo iuſtis hominibus ac piis omnem curam & proſpectionem Deus pollicetur,quam verbo agnoſcendi,ſiue ſciẽdi (Hebraicè ידע ſcriptura explicat. Sanctus Propheta Hieremias audit. Ex vtero matris cognoui te. Chriſtus Ieſus dementes virgines & ſtultas non cognoſcit, neque operarios illos iniquitatis qui inani operum iactatione tumentes, iudici ſe probare nituntur apud Matthæum. Regius vates Dauid, de cura & proſpectione ſummi Dei erga pios & innocentes homines,eleganter dixit, Nouit Dominus viã iuſtorum, & iter impiorum peribit. Qui vnus verſiculus ſanctorum proſperam, æquabilem,perpetuámque fœlicitatem,inter cætera ſcripturarum loca, admirabili artificio declarat per Sýnecdochẽ. Intelligimus enim ab eo quod præcedit, id quod conſequens eſt. Diuina enim natura,omnium rerum conſultrix & prouida, nulla ignoratione detineri poteſt,ſed quoniam ſolet cognitionem amor, cura, & proſpectio conſequi, & magnorum virorum ac principum ſummam beneuolentiam ſolo cognoſcendi verbo explicamus interdum, Diuina philoſophia, hoc loquen

loquendi tropo piis mentibus Diuinam procurationem, & prouidentiam ſummã pollicetur. Hiſpanè dicimus, Conoce el Principe a fulano, y ya no me conoce el Rey. Quibus loquutionum generibus, aut odium & amotam prorſus curam atque prouidentiam, aut fauorem principis, & illius erga quempiam charitatem, & beneuolentiam linguæ idiotiſmo ſignificamus. Hæc verò cognitio & Diuinæ mentis ſciẽtia, quam nobilis vates Nahũ, & Rex Propheta Dauid, inter cæteros Diuinos ſcriptores celebrant, prima eſt ſalutis ſanctorum radix, & cauſa certiſsima, quæ non tantum ab eo tempore cœpit, quo in poſſeſsionem vitæ & lucis huius, ſancti homines mittuntur, ſed ante mundi exortũ (vt Pau. autor eſt) præſciuit enim & pręde ſtinauit illos, ante iacta mũdi fundamẽta, vt cõformes eſſent imaginis chariſsimi filij. Hæc verò cõformatio ſanctorũ animis inſignita & impreſſa, in verbo cognoſcẽdi potiſsimũ elucet: atq; ea imago & figura, ſic eſt quorundam exiſtimatione & iudicio explicanda, vt quemadmodum pater filium agnoſcit: hoc eſt flagranti charitate ab æterno complexus eſt, ad eundem

mod

modum pios homines, quantùm eorũ capacitas ferre poteſt, arctiſsimo amore cõſtringat. Et quemadmodum pater vnico filio ita proſpexit, vt quidquid optimũ & excellens haberet, libenter illi largiretur, pari opera, optimis viros ampliſsimis cumularet beneficiis, quantùm eorum tenuitas ferret. Chriſtum Ieſum tanto malorũ pondere preſſum, paterna proſpectio & beneuolentia liberauit: & omni dolore, & acerbitate, & cruciatu, amotis, in ſummã & nullius rei egentem fœlicitatem euexit. Iuſtos homines ad eundem per omnia modum, vt ſuam bonitatem & paternam erga illos curam declaret, oſtendátque quãto ſtudio tueatur innocentiam, omnibus incommodis ereptos æterna tandem fœlicitate donabit. Itaque quo Propheta Nahum, impios Aſſyrios, de ſpe, conatúque depelleret, & Iſraeliticam gentem in expectationem meliorum erigeret, ſimul vt impios ab ſtudio peccandi auocaret, & egregios viros in optimam ſpem adducerer, inquit, Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, & ſciens ſperantes in ſe. Quid ergo reformident, qui Deo curæ ſunt, quos inter ſuos agnoſcit? Cõtrà quid
mali

mali non ſpectent, quos ille ignorat, cuius ſolius cognitione & prouidentia ſeruantur & conſiſtunt omnia, quóſque perituros pronuntiat neſcius falli ſpiritus Dei? Nihil ergo eſt, quòd impios iuſti mirentur, aut eorum ambiant ſocietatem, non eſt quòd eos timeant, aut illorum inuideant fœlicitati fluxæ & breuiſsimæ.

Et in diluuio prætereunte conſummationem faciet loci eius, & inimicos eius perſequentur tenebræ.

SAepe mihi Chriſtianus lector admonendus eſt, eam ſemper ſanctorum prophetarum fuiſſe conſuetudinē & quaſi ſolenne dicendi inſtitutum, vt ſingulos loquendi tropos & formulas è Moſaicis libris mutuarentur, quibus viciſsim pro acceptis verbis reddebant ſpiritum orationis, vbertatem, & ornamenta dicendi. Nemini obſcura eſſe poſsint, quę ſanctus Moſes Geneſ. cap. 5. de mundo iam adoleſcente referat. Quum enim terræ frequentius colerentur, quo maior humanarum gentium vis erat, eò magis vitia inualeſcere, totáque vitæ ratio in peius labi, iniuria pro innocentia haberi, pro pietate numi-

nis contẽptus cœpere. Itaq; cùm per licentiam & libidinẽ eò proceſsiſſent ſcelera, vt vix vnus Noe inter mortales fuerit repertus, cui iuſtitia curæ eſſet, qui & ſcelera caſtigaret, & ad pœnitentiã excitaret homines, pia prædicatione nihil proficiente, cùm res iam nõ procul eſſet ab iniuria, vbi parum tutam fore credidit innocentiam, in media nequitia deſtitutam, cum tota domo è medio diſceſsit, vt prodidere quidam. Tum verò neque modus, neque modeſtia fuit amplius peccandi, omníque pudore ſublato, in omne nefas homines abiere, donec profligata omni ex parte iuſtitia, Diuinã mentẽ ſubiit cura, genus omne humanum vna clade extinguendi. Noe duntaxat cum tota domo, qui in antiqua pietate perſtiterat, ſeruatus eſt, vt eſſet per quem humanum genus ex integro reparari poſſet. Hunc itaque Deus supernè alloquitur, admonétque breui futurum, vt ingens aquarum exundatio, & incredibilis vis cataclyſmi omnem terram operiret. Poſtquam ergo ſibi atque ſuis ingentem molitus fuiſſet arcam, vt oraculo obſequeretur Diuino, appropinquãte diluuij tempore, cum vxore & liberis nauigium ingreſſus

greſſus eſt. Quadraginta deinde dies tanta vis aquarum è cœlo deiecta eſt, vt non ima loca ſolùm, ſed ipſa quoque altiſsimorum montium cacumina, quindecim cubitis tranſcēderet inundatio. Atque ita contigit, vt vna clade omnia quæ tum in terris animalia fuere, præter pauca, quæ myſtica nauis tuebatur, ſint cum volucribus extincta: vt cum his gigantes & hominum oppreſſores, qui ea tempeſtate fuiſſe dicuntur. Hæc veterum rerum memoria Diuina prouidentia geſtarum, multis à ſancto Dauide carminibus, variiſq; à cæteris prophetis oraculis paſsim celebratur, ita vt prementia omnia pericula, exundantibus aquis, quæ mortē homini intentant, & metu examinare ſolent, multis in locis aſsimilent. Regius propheta Dauid Pſal. 18. vim hoſtium inſuperabilem, & pericula grauiſſima in omnem vitæ rationem intenta, exundationem aquarum, Diuiníque numinis fauorem & tutelam inter tempeſtates ipſas, illarum depulſionem appellat. Apparuerunt fontes, ſiue aluei aquarum, & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum, ab increpatione tua Domine, ab inſpiratione ſpiritus oris, aut naſi tui. Vt enim

præclaram & præpotentem latam ſibi contra hoſtis opem, & illorum prædicaret deiectionem, Deum inducit increpatione, & ſpiritu ſuo tota exhauſiſſe & ſiccaſſe flumina: Intelligit autem hoſtes, qui ea ſubnixi potentia videbantur, vt minus eſſet credibile, illos extingui poſſe, quàm flumina, & ingentes aquarum alluuiones exſiccari. Pſal. 32. vbi peccatores homines vehementer hortatur, omnem adhibeant operam, vt ſcelera & impietates illorum, gratia numinis, fauor & beneuolentia occultet, inter cætera quæ eo carmine Diuinitus excogitauit ad excitandos & erigendos languentes animos, & ſordibus peccatorum grauiter coinquinatos, illuc noſtro eſt inſtituto accommodatiſsimum, quod de diluuio aquarum multarum intulit, Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno; veruntamen in diluuio aquarum multarum ad Deum non approximabunt. Piorum (inquit) ſtudium & cogitatio omnis hûc ſemper nititur, vt peccata ſibi remittantur, & condonentur errata. Scit enim in poſſeſsionem temporis rei adeò fugacis à Deo ſe miſſum, ignorátque quando ab ea poſſeſsione pellẽdus ſit:

Hæc

Hæc cùm diligenter animaduertat, petit inſtanter, & enixè orat, oblata occaſione, & opportuno tempore. Nam ingruente aquarum exundantia omnis nobis eripitur idonea pœnitendi opportunitas, omniáque noſtra ſtudia, conſilia, & cogitatus intercipiuntur, non ſecus atque priori illo ſeculo imbres ſupernè deiecti, & ebullientes è terræ viſceribus aquæ, impios homines ſceleribus inuerſos in mortis exitium impulere. Sancti homines proinde vtuntur oblato tempore, & ea occaſione, qua amiſſa nulla alia reſtat, neque peccatis dare diuerticula conſueuere, admoniti veteri illo Diuinæ iuſtitiæ exemplo. Cùm hæc Sanctus propheta Nahum antiqua rerum monumenta, memoria repeteret, & ſecretiorem eius hiſtoriæ philoſophiam ſecum meditaretur, Aſſyrios ad mentem reuocat, & Niniuitas omnes, aliorum periculo, & veteris ſupplicij celebri immanitate admonet, ne in ſceleribus, aut ſummi Dei contemptu pergere velint, commemoratis aquarum alluuionibus, quibus totus priſcis illis tẽporibus orbis interiit. Sic etiam Apoſtolorum Princeps Petrus altera Canonica, inter exempla Diuinæ

iuſtitiæ priori illo ſeculo declarata, ad reprimendos ſua tempeſtate impiorum hominum nefarios conatus, qui partim doctrina, partim malè viuendi exemplo, eccleſiam Dei perturbarent, & omnem religionis & pietatis rationem conuellerent, illud ſecundo loco contulit, quod vates in præſenti commemorat. Originali mundo non pepercit, ſed octauũ Noe iuſtitiæ præconem cuſtodiuit, diluuium mundo impiorum inducẽs, Non eſt (inquit) quòd impietas partem aliquam ſecuritatis ſibi polliceatur, tametſi ad tempus Diuina iuſtitia noſtris ſceleribus offenſa, oculis conniuere videatur. Nam ſi proprij contemptus pœnas antiquitus ab vniuerſo repetebat orbe, diluuium inducẽs, & hominem iuſtum cui pietas eſſet curæ, cũ octo animis tãtùm graui periculo exemit, cætera omnia funditus deuaſtauit: cur ſibi nefarij homines tutam & ſine vlla offenſione fortunã ſtultè promittant? Perſequetur proculdubiò aliquãdo ſuas iniurias, & referet malè meritis quod debet. Eſt ergo diluuium præteriens & conſummationem faciens, grauis animaduerſio, in viros Niniuitas ſummi Dei contemptores. Controuerſia illa

iam

iam à nobis componenda, aut potius dirimenda eſt, quæ inter expoſitores hoc loco verſatur, ſítne vaticinium referendum ad exercitum Sennacherib vna nocte proſtratum, an potius ad ampliſsimam Niniues ciuitatem, quæ ſumma dignitate & imperio erat expolianda, atque in exemplũ impiorum, & argumentum Diuinæ potentiæ diripienda & diruenda funditus. Rabi Dauid Kimhi Commentariis in hunc locum ad ciuitatem Niniues ampliſsimã, graues comminationes referẽdas arbitratur. Huius ſententiæ probabilis reddi ratio poſſit. Nam Hebræa lectio, ſi diligenter animaduertamus, vbi loci facit mentionem propheta, dicens: Conſummationem faciet loci eius, fœminino genere relatiuum extulit כָּלָה יַעֲשֶׂה מְקוֹמָהּ conſumptionem faciet, & demolietur ciuitatis locum, ita vt nullum illius appareat veſtigiũ. Sic habet Rabi Dauid, inter Hebræos doctiſsimus. מְקוֹמָהּ שֶׁל נִינְוֵה Lyranus verò totum oraculum ad exercitum Sennacherib, & obſidionem ciuitatis Hieruſalem, atque inauditam ſtragem vna nocte confectam, reuocandam cenſet: cuius ſententia non omnino reiicienda mihi vi-

detur. Poſſet enim comminatio prophetæ citra violentiam aliquam ad clades omnes,& graues conſumptiones illius gentis, & regni Aſſyriorum accommodari, quæ cùm ab obſidione ciuitatis ſanctæ, & magna totius exercitus deuaſtatione,& miſerabili interitu initium acceperint tota bellica gloria,& iuuentutis flore,atque præſidio imperij ſublatis:dubitare non poſſum, quin vaticinium Nahum vtranque infœlicitatis partem complectatur. Eſt autem diligentius animaduertendum,quãta cum venuſtate poſtrema gentis Aſſyriorum clades in nomen diluuij & exundationis grauiſsimæ mutetur. Nam ſi pro diluuio aut exundatione interitum, perditionem,aut deuaſtationem dixiſſet, quantam lectio ipſa virtutem, quantum decoris amiſiſſet. Quàm verò nitidum,quàm iucundum totum vaticinium facit exundationis appellatio. Explicat enim miro modo,tum multitudinem Babyloniorum,& exercitus innumerabiles,quos in perniciẽ Aſſyriorum armatos & inſtructos iam procedere mens prophetæ à longè proſpexiſſet, tum pauorem &conſternationem Niniuitarum,qui graui periculo implicati,non magis Babyloniorum

loniorum conatibus ire obuiam poſsint, quàm vaſtiſsimo flumini, decurrenti magno impetu, rumpenti aggeres, & ingentes moles ſecum trahenti: quod ſi per campos & arua diſcurrat furens, aut in ædes ipſas impetum faciat, nulla humana induſtria, nulla ſapientia, nullæ vires impēdenti poſſint occurrere periculo. Nihil ergo humile, nihil ieiunū ſermo propheticus habet. Auget autem ſermonis copiam metaphoram amplificando, cùm dixit, Diluuium prætericns: Quod multò ſignificātius mihi videtur, quàm ſi aquarū exundantium mentionem tantùm intuliſſet. Nam quòd Hebraicè dixit עֹבֵר furentium aquarum impetum ſignificare arbitror. Iam verò altera illa metaphora à nobis tractanda eſt, quæ tenebras & denſiſsimam caliginem Aſſyriorū gētem, & impios Niniuitas perſequentem inducit. Quæ verborū tranſlatio, tametſi tenebrarum & caliginis longo receſſu iaceat, eſt à nobis nihilominus in lucem vendicāda & aſſerēda. Communi ſermonis cōſuetudine, arcanæ literæ tenebrarū appellatione vtuntur, pro omni calamitate, miſeria, & ægritudine laborioſa, quemadmodum lucis nomine pro ſecūda,

proſpera & æquabili fortuna. Regius propheta Dauid Pſal. 112. vt oſtenderet homines Dei ſtudioſos tutos agere, dum alij calamitatibus variis afficiuntur, lucem gratiſsimam in tenebris illis exoriri dicebat. Et Pſal. 18. inſtanter petebat: Quoniam tu illuminas lucernã meã, Domine illumina tenebras meas. Illuſtris propheta Eſa. c. 5. de impiis hominibus. Aſpiciemus ad terrã, & ecce tenebræ, id eſt; Vndecũque quæremus auxiliũ, & nihil præter anguſtias & labores occurret nobis. Itaq; quoniã tenebrę intolerabiles, omnes preſſuras & afflictiones ſignificãt. Rabi Dauid Kimbi (qui frequenter à nobis adducẽdus erit, cùm explicãdis vocũ proprietatibus hæſerimus) hũc ſenſum ibi adfert, Perſeqũẽtes tenebræ, ingens eſt tribulatio, & quaſi rerum omnium inſuperabilis difficultas. Eſt autem illud legentibus literas ſacras compertiſsimum, geminam tenebrarum eſſe rationem: alias enim exteriores tenebras, alias interiores Diuina philoſophia cõmemorat. Sanctus propheta Dauid Pſa. 35. cùm dira quædam & horrenda ſuis hoſtibus (non ſine numinis incitatione) imprecaretur: illud poſtremo loco, tanquã omniũ eſſet grauiſsimum, aduer

aduerſum pietatis inmicos petebat à ſummo Deo, Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, & angelus Domini perſequẽs eos: Multa ſanè poſtulauerat paulò ſuperius, vt hoſtium conatus omnino fruſtrarentur, & omnia illis verterẽtur in exitium, ſed cùm tenebras & caliginẽ & lubricitatẽ illis imprecatur, optat elegãtiſsima auxeſi in ſempiternã perniciẽ ac miſerabilem caſum hoſtes vocẽtur. Tenebras itaq; eo loco ſummã rerũ perturbationẽ, & iactationẽ ſignificare crediderim, ita vt variis implicati & cõſtricti malis, peccatores homines, quid illis ſequendũ ſit aut refugiendũ videre non poſſint. Hanc mentis præcipitationẽ ſcriptura ſancta (niſi me falſum opinio tenet) tenebras interiores appellat, quibus fortaſſe impiũ Cainũ grauiter propter admiſſum facinus Deus Op. Max. corripiat dicens, Eris נָע וָנָד hoc eſt, incertus rerũ tuarũ, & vagabundus, ita vt animi cõfuſus, & omnium conſiliorũ factorúmq; miſerrima diſturbatione percelleretur. Eaſdẽ interiores tenebras, & mentis cæcitatẽ populo Iſraëlitico ſuas tranſgredienti leges Dominus comminatus eſt, Deu. 28. Percutiet te Dominus amentia & cæcitate, & ſtupore cordis, eríſq;

palp

palpitans in meridie, vt cœcus palpitat in tenebris. Paulus Apoſtolus eam ipſam mentis caliginem, qua impiorum animi æquiſsimo Dei iudicio percutiuntur, cæcitatem cordis & obſcurationem, & reprobum ſenſum appellat. Hæc eſt animi illa perplexitas, & conſiliorum factorúmque cõtinua euerſio, quã Pharao, Saul, Achab, aliíque impij homines & tyranni egregiè experti ſunt, vt ſcripturæ teſtantur: & ſi quis animaduertat, videbit huic malo ſemper obnoxios quicunque Deo carent. Tenebras autem exteriores illas eſſe crediderim, quæ ad rerum externam perturbationem & euerſionem pertinent. De quibus Deutero. 28. Moſes vt rudem populum in officio, pietate, & religionis ſtudio retineret, poſtquam tenebras commemorauit, inquit, Nihil eorum quæ cogitaueris, inſtitueris, proſperum habebis, calumniam & rerum direptionẽ, quotidie patieris, neque erit qui ſeruet. Et prope finem eiuſdem capitis, In gentibus illis vbi captus eris, nihil habebis tranquillum, nulla erit pedibus tuis quies, dabítque tibi Dominus illic cor trepidans, oculos deficientes, & animam languidam. Ex quo perſpicitur

Chriſt

Chriſtum R. cùm apud Matthæum c. 22. nuptiarum parabolam exponit, & hominem qui Regio conuiuio lacera veſte, & detrita, impudẽter ſe ingeſsit, in tenebras exteriores coniectum ſummi Regis imperio, declarauit, vbi ſempiternus fletus, & mœror, ſingultus & dentium crepitus, audiuntur: miſeram & afflictam fortunam & miſerabiles caſus gentis Iudaicæ (quibus partim florente Romanorũ imperio, partim noſtro etiam ſeculo per totum orbẽ iactantur) ſignificare voluiſſe. Incurrit populus ille tenebras interiores, quas Paulus cordis velamen appellat, & mentis cæcitatem, de qua diximus: ſed Chriſtus Ieſus, vt populum rudem, & ſpiritalibus rebus minimè aſſuetum, rerum ſenſilium imaginibus prorſus immerſum, à ſcelere auocaret, & ad opulentum magni Dei conuiuiũ, ipſa verbi incarnatione abſolutum, magna mentis puritate celebrandum incitaret, tenebras exteriores commemorauit, & fletus & dentium crepitus: vt miſerias & calamitates, & ærumnas, quibus populus ille erat afficiendus, latenter inſinuaret. Neque verò dubitare poſſum, Chriſtũ Ieſum R. N. tenebrarum nomine, vetus

ſancti

ſancti Moyſi vaticinium, ſtultis ac dementibus hominibus, in mentem reuocauiſſe: quo & interiorem mentis cæcitatem & ſtuporem, & externa omnia incommoda, & rerum difficultates, in gentem perditã, ac profligatam fuerat comminatus. Aſſyrios proindè denſiſsimæ tenebræ perſequebantur, cùm exteriùs miſerandas clades, & intolerabilia pericula, interiùs verò cõſiliorum omnium ſummam perturbationẽ, & euerſionem experirentur. Nam, vt omittamus tantam hominum ſtragem vna nocte coacerbatam, & dira pernicie conſumptã, Senacherib, quem inimicum appellat Propheta ſingulari ratione, tã aduerſa fuit fortuna iactatus & afflictus, vt cùm exercitus poſtrema clade conſternatus abiret in Aſſyriam, eo conſilio fortaſſe, vt præliũ ingens inſtauraret, ſed illum noua conſilia molientem, denſiſsimæ tenebræ, & omnium rerum confuſsio, & perturbatio perſequebatur. Breui enim tempore interiecto; à Seleuſtro, & Adramelecho filiis fuit interẽptus. Hæc eſt caligo profunda, quæ Niniuitas omnes, & florentiſsimã ſuo tempore ciuitatem, & imperiũ & Regnũ tãta mole fundatum, in vltionem ſcelerũ,
fundi

funditus ſubuertit:atque in tantam conſiliorum inopiam,& rerum difficultates cõiecit,vt ſuo malo agnouerint,quàm potẽs eſſet Deus ille hoſtis Niniuitarum. Quæſtio illa iam à nobis tractanda eſt & excutienda, quæ ſanctarum ſcripturarum locis innumeris, incredibilem lucem afferet, & Oraculum Nahum apertiùs multo noſtræ mentis oculis colluſtrãdum obiiciet: quid cauſæ ſit, quod tota Diuina philoſophia graues tribulationes,& horrẽdas tenebras, & caliginẽ frequẽter appellat. Ea eſt enim ſanctarum ſcripturarũ maieſtas,vt tametſi circa ſingula verba & cauſas verborum, & poteſtates,diu labores ac multùm, nunquàm ſuperſtitionis notam incurras. Puerile ſit fortaſſe apud alios autores hoc laboris & aſsiduitatis aſſumere;quòd earum vocum,quæ ab induſtria humani ingenij naſcuntur, non ſemper probabilis reddi ratio poſſit. De qua re magna eſt inter Ariſtotelem & Platonem ſummos Philoſophos controuerſia:ſanctæ verò literæ cũ à Diuina mente & conſilio fuerint inuentæ & excogitatæ, nunquam omni vtilitatis parte carebit, & omni fructu vacabit, quæ circa ipſam vocum euidẽtiam, & vim

& vim verſatur ſolicitudo, & diligentia.
Non defuêre inter philoſophos magni nominis, rerũ cognitione & doctrina præſtantes, qui ipſam animi noſtri ſubſtãtiam lucem eſſe arbitrarentur. Tùm quòd illi arcano quodam naturæ, inſita ſit cupiditas intuendi lucem: tùm quòd nihil æquè refugiat & auerſetur atq; tenebras, & quidquid omni eſt luce deſtitutum. Ex quo fit vt veteres ſapientes, & qui rerum omniũ cognitionem profiterentur, hominẽ propter animi illam vehementem propenſionem φῶτα Græcè appellauerint. Quæcũque enim craſsiſsimis ſunt tenebris circũfuſa, ſuſpecta à nobis videntur. Cótrà verò, lux tanquam rerum omnium condimẽtum, & aliis rebus gratiam & venuſtatem, & ipſa per ſe incredibilem adfert iucunditatem animi, & oblectamentum maximũ. Neque verò apud Latinos inſolens eſt aduerſa omnia & moleſta tenebrarum appellatione: iucunda verò, & quæ ex animi ſententia euenirent lucis nomine ſignificare. Cicero pro Sexto R. tanquàm ſi offuſa Reipub. ſempiterna nox eſſet, ita ruebant in tenebris, omnia miſcebant. Et contra Rullum, Nunc totis tenebris & caligine,
Alex

Alexandriam ſe peruenturos putant. Et alibi. Ex ſuperioris anni caligine & tenebris lucem in Repub. videre cœpiſtis. Legimus veteres philoſophos atque poetas, magnam veræ fœlicitatis partem poſt diſceſſum ab hac miſera & calamitoſa vita, lucem & ſplendorem fore, conſtanter aſſeruiſſe: & ſedes illas piorum hominum, gratiſsimam ſolis lucem colluſtrare: quemadmodum impiorum domicilia denſiſsimæ tenebræ occupant, & ſempiterna caligo & opacitas. Quæ omnia cùm ab illis inſtinctu quodam naturæ atque incitatione fuerint obſeruata & diligenter animaduerſa, relinquitur inter humanum animum & lucem, magnam intercedere affinitatis & ſimilitudinis rationẽ, ac proinde caliginem & tenebras humanæ naturæ infenſas eſſe & inimicas, nullóque grauiori ſupplicio in homines poſſe animaduerti, quàm tenebrarũ ac lucis vacuitate & deſtitutione. Cùm Deus Op. Max. Aegyptiorum gentem deditam ſuperſtitioni, & in populũ Hebræorum ſæuiẽtem (vt eſt ſanctarum literarum monumentis vetuſtiſsimis comprehẽſum) grauiter animaduerteret, & omnem ſuppliciorum vim in nefarios homines, inno-

centiæ oppreſſores effunderet, illa cum cæteris grauiſsima fuit caſtigatio, quòd tota illorum regio denſiſsimis fuit circumfuſa tenebris, ita vt nihil ſub Aegyptiorũ conſpectu veniret, ſed fuiſſent omnia obſcura caligine contecta. Diſcuſsis verò tenebris, iuſti hominis precationibus, lucis poſt dies aliquot iucundiſsimum intuitum, ſummi beneficij loco repoſuere, quaſi è ſempiterna morte in vitam reuocati. Has tenebras fortaſſe ſanctus propheta Nahum, & veteris ſupplicij memoriam cùm animo complecteretur Aſſyriorum dementiam & ſtultitiam tenebris fore corripiendam prædicat, vt olim Aegyptiæ gentis veſaniam. Atque (vt ego exiſtimo) vetus illa memoria rerum fecit, vt Hebræis hominibus eſſet in prouerbio tenebras appellare quæcunque incidiſſent aduerſa, aut corpori aut animo. Quibus facilè perſpicitur caliginis & tenebrarum metaphoram in arcanis literis, multum habere venuſtatis ac viriũ, ſiue humani animi naturam, ſiue rerum antiquitus geſtarum memoriam diligenter animaduertas. Accedit ad ea quæ diximus quòd lucem interdum & ſplendorem, nominis ipſam celebritatem optimis operi-
bus

bus quæſitam vocamus, quemadmodum obſcurationem famæ atq; gloriæ dicimus, cùm nullam rebus geſtis, atque hominum prædicatione laudē conſequimur. Ex quo fit, aut quoniam futurum erat, Aſſyriorum ſceleribus id exigētibus, & æquiſsimo Dei iudicio ita ferente, vt Babylonicis armis & induſtria, Niniuitarum imperium florentiſsimū funditus deleretur, & Aſſyriorum nomen in ſempiternam caliginem & obliuionem veniret: ſanctus propheta tenebras perſequentes, quaſi diram vltionem commemorarit, dicens, Et inimicos eius perſequentur tenebræ. Conſueuere Diuini ſcriptores ſingulari numinis inflatu & incitatione, iuſtis hominibus memoriam æternitatis, & nominis claritatem & ſplendorem polliceri, ita etiam nefariis & perditis propriæ famæ & exiſtimationis obſcurationem & interitum Regius propheta Dauid Pſal. 9. de impiorum hominum ſempiterna obliuione. Periit memoria eorum cum ſonitu. Et Pſal. 133. Vt perdat de terra memoriā eorum. Et Pſal. 118. Diſpereat de terra memoria eorum. Contrà verò de iuſtis hominibus ac piis. In memoria æterna erit iuſtus. Et Salomō Prou. 10.

Memoriam iuſti cum laudibus celebrandam dicit. Habes ex his quæ diximus, tenebrarum metaphoram ſacris literis familiarem, ita explicatam, vt ſimilibus ſcripturarũ locis hæſitare nõ poſsis, quæ tenebrarum & caliginis vllã efficiant mentionem.

Quid cogitatis contra Dominum? conſummationem ipſe faciet: non conſurget duplex tribulatio.

HIC locus inter eos qui in diſceptationem apud Theologos, tum veteres tum recentiores ſolent vocari, difficilimus habetur & perobſcurus. Dubitarunt enim ſapientiſsimi homines, prophetici oraculi ſententiam, magna animi contentione & ſumma diligẽtia ſecum reputantes, vocẽtúrne in ſupplicium à ſummo Deo ſemel remiſſa peccata, & quod aliqua caſtigatione fuit expiatum facinus, nunquid nouo aliquo animaduerſionis genere, iure puniri à ſupremo iudice poſsit. Nam ſi quorundam hominum veſaniam Cœleſtis ſpiritus exagitans (vt in ſequentibus vberius tractabimus) illorum cogitatus & de Diuina iuſtitia & prouidẽtia exiſtimationes acriter reprehendit per prophet

phetam Nahum dicẽs, Quid cogitatis contra Dominum, conſummationem ipſe faciet, non conſurget duplex tribulatio. Illud vtique certa ratione conſtabit, nullum flagitium quantumuis atrox & graue duplici tribulatione aut caſtigatione vnquã à Deo corripi. Quam ſententiam ſeptuaginta interpretes, quorum magna ſemper in eccleſia Chriſti autoritas fuit, verbis apertioribus, & (vt mihi videtur) ad rem explicandam appoſitiſsimis cõfirmarunt. Ita enim locũ trãſtulere, vt perſpicuum & quaſi ante oculos poſitũ illius ſenſum reddiderint, & quid ipſi de propoſita quæſtione ſenſerint, non obſcurè ſignificauerint. Deus (inquiunt) non punit bis in idipſum. Habet Diuina iuſtitia tantum ſeueritatis, quantum ad punienda flagitia, & retinendos in officio homines ſat eſt, nũquam tamen tam latè ſæuit ac furit, vt gemina animaduerſione, vnum atq; idem facinus caſtiget. Habet hæc quæſtio, quæ de Diuinæ iuſtitiæ æquitate & caſtigandi moderatione eſt, magnos in vtranque partem, & graues & eruditos patronos, qui contrarias & pugnantes ſententias pertinaciter tueantur, tum ex antiquis, tum ex recentibus,

quos Scholaſticos vocamus. Magnus Ambroſius impiis & nefariis hominibus, cùm grauiter aliquando comminaretur, & à repetendarum iniuriarum ſtudio & cupiditate auocaret, Diuinæ iuſtitiæ ſeueritatem quaſi illorum oculis ſubiecit: Donate (inquit) inuicem, ſi alter in alterum peccet, repetet alioqui Deus dimiſſa ſcelera. Nam ſi in his contemptus fuerit, reuocabit ſine dubio ſententiā, per quam miſericordiam dederat: ſicut in Euangelio de conſeruo nequam legitur, qui in conſeruum impius deprehenſus eſt. Diuus præterea Gregorius huic ſententiæ (vt mihi videtur) ſubſcribit. Cùm enim ad iniuriarum remiſsionem Chriſtianos homines vehemēter cohortaretur Chriſti Redemptoris ſententiam, & de re propoſita iudicium aperuit, & mente complectendam, non ſine graui comminatione explicuit. Ex dictis Euangelicis (inquit) conſtat, quia ſi non ex corde dimittimus quod in nos delinquitur, & hoc rurſum à nobis exigitur quod iam in nos per pœnitentiam dimiſſum gaudebamus. Diuus Aurelius Auguſtinus rurſum in hâc ſententia & fauet & autor eſt, diſputans enim de remittendis iniuriis, & contumel

tumeliis, quibus nomen noſtrum & dignitas, in magnum venit diſcrimen, in hunc modum inquit, Dimitte, & dimittetur tibi: ſed ego prius dimiſi, dimitte ergo. Et paulò procul: Nam ſi non dimiſeris, reuocabo te, & quæ dimiſeram replicabo tibi. Sed illud non minus apertè eandem Diuinæ iuſtitiæ ſeueritatem ante oculos mortalium conſtituit. Qui Diuini beneficij oblitus, ſuas vult vindicare iniurias, non ſolùm de futuris peccatis veniam nō merebitur, ſed præterita etiam quæ iam ſibi dimiſſa credebat, replicabũtur. Adde quòd Beda non aſpernandus Theologus, quem veteribus etiam annumerare libuit, vel eo nomine, quòd omnia ſua ſcripta ex antiquioribus hauſit, ex Auguſtino maximè, exponens illud Matth. 12. Reuertar in domũ meam, vnde exiui: ſic habet, Timendus eſt hic verſiculus, non exponēdus, ne culpa, quam in nobis extinctam credebamus, nos vacantes & ignauiæ deditos opprimat. Coaceruator ſententiarum, qui multorum ad explicandam quæſtionem, teſtimonia in vnum quaſi corpus congeſsit. Illud etiã ex Aurelio Aug. adfert, quo & ſuperior ſentẽtia, & de Diuinæ iuſtitiæ ſeueritate iudi-

cium grauitate quadam firmatur. Redire peccata vbi charitas non eſt, apertè Dominus in Euãgelio docet, in ſeruo illo, à quo dimiſſum debitũ repetiit, eò quòd ille conſeruo ſuo debitum nollet remittere. Sed vt propoſitæ à nobis quæſtionis difficultatem magis vrgeamus, D. Hieron. non tantùm dicendi, ſed & intelligendi inter cæteros autores ſacros grauiſsimus autor & magiſter, Commentariis in hunc locum, multa ſanè excogitauit; quæ explicatam à nobis ſententiam, vel reuocare in dubium & ancipitem reddere, vel omnino labefactare videãtur, & vt illius de re propoſita exiſtimationem, quæ latiſsima eſt, paucis explicemus, oraculum propheticum in Marcionem hęreticũ tanquã ineuitabile telum contorquet, & in anguſtum compellit. Tu (inquit) eum qui conſummationem fecit totius orbis, & tantam molem diſſoluit crudelem appellas, quem veteris teſtamẽti Deũ in vltionẽ vindictæ ſemper inflãmatũ tuo mẽdacio finxiſti? Totũ deleuit orbem alluuionibus aquarũ grauiſsimis, pluit ſuper quinq; ciuitates ſulphur & ignẽ, Aegyptios fluctibus maris conuoluit, Iſraëlitarũ cadauera in locis deſertis ꝓſtrauit, ſed im-

piis hominibus in præſenti hæc ſupplicia reddidit,ne in æternũ puniret. Aç deinde hoc dilẽmate aduerſariũ premit & vrget. Aut enim falſa ſunt quæ ſcriptura & prophetæ dixere,aut vera:ſi vera, cũ ergo ſit illorũ ſentẽtia, Deũ nõ punire bis in idipſum, neque duplicẽ excitare tribulationẽ, quod ab illius mãſuetudine,& animi lenitate prorſum ſit alienũ, falsò igitur crudelis & ſæuus à Martione appellatur. Itaque verũ eſtquod dicitur,Nõ cõſurget duplex tribulatio,& nõ punit Dominus bis in idipſum: qui ergo ſuorũ ſcelerũ pœnas ſemel dedere, haudquaquã nouo aliquo afficientur ſupplicio. Sed finge punitũ à ſummo iudice flagitiũ,iterũ vocetur in pœnã:falſum ergo erit quod dicitur, Non cõſurget duplex tribulatio,&Deus in idipſum facinus ſemel tantũ animaduertit.Quòd ſi quẽadmodũ propheticũ habet oraculũ,tanta eſt Dei bonitas, vt nũquã in eaſdẽ impietates gemino animaduertat ſupplicio, relinquitur falſam eſſe exiſtimationẽ illã Martionis,& eorũ qui ex illius prodiere ſchola,ac penitus hominũ animis diuellendã veteris teſtamẽti Deũ animo ſemper eſſe in vltionem inflammato, & vindictæ cupiditate

æſtuāti. Quibus omnibus Hiero. tanquam rem euicerit, colligit eos, qui priori illo ſeculo aquarũ alluuionibus, & qui Sodomis dira vltione cõſumpti ſunt, tum qui cohærentibus marinis aquis fuere ſubmerſi, in hac vita tantùm pœnas dediſſe. Poſtremò tandem vir ſanctiſsimus, ne fortaſſe videretur hominum ſceleribus & impietatibus aſſentari, dum Diuinæ mentis munificentiam extollebat, quæſtionẽ attulit de homine qui aut ſtuprò aut adulterio, aut aliqua illicitæ voluptatis illecebra deprehenſus, debitas cogitur pœnas exoluere. Nam is ſi exiguo aliquo ſupplicio ſibi irrogato, æternos poteſt fruſtrare cruciatus, optādũ vtique adulteris & parricidis, breui in hac vita cruciatu & leuiſsimo, dolores & acerbitates fugere, quæ non longiſsimo aliquo tẽpore, ſed ipſa potius æternitate continentur. Iudicis tamẽ ſententiã magni Dei decreta & cõſilia, aut reſcindere, aut omnino mutare non poſsit, ita vt in hominẽ perditum, iudiciũ opportuno tempore nõ pronunciet. Itaque vt aliquando ſententiam terminaret ſuam, & propoſitam à ſe quæſtionem expediret, his tādem verbis quid de ea re ſentiret, nobis aperuit vir ſanctiſſimus.

ſimus. Magna peccata, magnis ſunt eluenda cruciatibus, leuiora leuioribus. Quibus primò ſtatim proſpectu apparet, eam fuiſſe Hieronymi ſententiam, vt crederet ſcelera illa, quæ ſummus Deus aliquo ſupplicij genere in hac vita caſtigat, nunquam amplius in pœnam & cruciatus vocari, ac de illis propheticum oraculum fore intelligendum. Cæterùm genus omne impietatis & atrocioris flagitij, & in hac vita aliquando temporario ſupplicio, & in futura æternis ignibus plectẽdũ, præſertim ſi aut ſententia iudicis, aut ſenatus ſuffragiis, & humanarum denique legum autoritate, in flagitiũ & impietatẽ animaduertatur. Ego vero nunquã ſatis ingenio cõſequi poſſum quo pacto Chriſtianus lector, magni Hieronymi ſentẽtia diligẽter excuſſa, oraculũ propheticum aut intelligere queat, aut illas expedire difficultates, quæ rectè animaduertenti poſſunt occurrere. Principiò quòd dilẽmate illo Martionem vehementer vrgere videtur, & quaſi in anguſtias compellere, aut falſa ſunt quæ ſcriptura pronuntiat, & prophetæ prædixere, aut vera: vtique reſpõderet hæreticus qui impudẽter vetus teſtamentũ omne contẽnit,

& omn

& omnem illi abrogat autoritatem: falſa eſſe quæ priori illo inſtrumento comprehenſa ſunt, ſed finge Martion reſpondeat vera eſſe omnia, quæ aut in lege, aut prophetis continentur. Nunquid ſtatim inſuperabili euincatur argumento, nunquam in eandem impietatem duplicem excitari afflictionem? Hieremias propheta cap. 17. quo loco in Iſraëliticam gentem grauiſsimas pœnas intentat, & ſupplicia comminatur: duplici contritione comprimendos fore impios Iudæos prędicit. Quæ eſt ergo duplex illa contritio, ſi hæc ſemper Diuinæ menti ſtat ſententia, vt nunquam bis in idipſum puniat? Eſaias cap. 40. cùm mentis incitatione Diuina, venturas populi Iudaici clades à lõgè proſpiceret: in eandem penè cum Hieręmia ſententiam dicebat, Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Quem locum idęm Hieronymus interpretatur de duplici captiuitate & ſeruitute Iudaicæ gentis, Babylonica & Romana, qua noſtro etiam ſeculo preſſos & iactatos videmus miſeros & infœlices homines. Quæ eſt ergo illa à propheta Nahum celebrata Diuina bonitas & amplitudo, ſi maximè illuſtriũ prophet

phetarum teſtimonio duplices contritiones & afflictiones pro ſceleribus admiſsis plena voce Iudaicæ genti polliceretur? Non me fugit, diuerticula quædam vltro ſe offerre rectè intuenti, per quæ vel expedire aliquo modo, vel potius fugere has rerum anguſtias poſsimus. Cum enim duplices afflictiones ab eodem ſcelere amouendas Propheta pronuntiat, ita eſt à nobis accipiendum, vt à magno Hieronymo adductis exēplis conſtat, quaſi altera afflictio temporaria ſit, altera æterna. Flagitiū itaque omne, quod Diuino iudicio & ſententia, in vita hac plectitur pœna, & ſupplicio afficitur: nunquàm in æternos vocabitur cruciatus. Hæc Hieronymus ſignificare videtur, cum exemplis exundantiū aquarum, temporibus Noe, & Sodomitarū conſumptionis grauiſsimæ, propoſitis grauia & intolerabilia illos in hac vita fuiſſe perpeſſos arbitratur: ne in infinitum tempus cruciarentur. Sed quęſo lector optime (per Deum immortalem) ſi in eū ſenſum Hieronymi ſentētia à nobis accipiēda ſit, de qua re nunquàm ambigere potui, nōne magnam oraculo Diuino violentiam inferamus, & quaſi ſummi Dei cōſilia per

pro

prophetam explicata, de ſalute & libertate populi Iudaici, & poſtremo Aſsyriorũ exitio, prorſum infringamus? Nam qua ratione cohærere poſsit hoc genus commẽti, cum his quæ Diuina prouidentia, ad erigendos labantes Iudæorum animos, & fractos iam longa obſidione hoſtium, temporibus Ezechiæ, aut ad depellendos impios de ſpe & conatu capiẽdæ ciuitatis ſanctæ, aut Regni & imperij Niniuitarum ab illis auferendi excogitauit? Ec-quæ fuiſſet illa conſolationis ratio Iudæorum genti ſummo vitæ diſcrimine oblata? Nõ conſurget duplex tribulatio, id eſt, non ego veſtras impietates in æterna ſupplicia depoſcam, tametſi in præſenti grauiori periculo oppreſsi, leuiori pœna & cruciatu peccata expietis. Hæc inquam rudem populum, & ſpiritalibus rebus, & quæ mente tantũ cõcipiuntur minime aſſuetum, aliqua potuiſſent doloris parte leuare. Quid ſi ad impiũ Senacheribum & Aſſyrios omnes Hieronymi iudicium, & de hoc loco ſententiam accommodare velis? Videre non poſſum quid habeant ponderis, aut viriũ Prophetæ verba ad reprimẽdos illorum nefarios conatus. Nunquid non alienum ac ſubin-

ſulſum, imo vitioſum in ſentētia videatur hoc argumentum? Non eſt ô Aſsyrij quòd veſtros in lætitiam animos extollat Iudaicæ gentis ſummum periculum, & graue diſcrimen, aut inſuperabiles rerum difficultates, in quas ſua culpa incidêre. Quamuis enim in præſenti illius ſcelera in pœnam depoſcam, non tamen conſurget duplex tribulatio, neque bis puniam in idipſum. Afficientur vtique temporario ſupplicio Hebræi: æternos tamē cruciatus ego ab illis longè depellā? Qualis eſſet, dic mihi, hæc argumētationis ratio, ad deterrendos eos homines & illorū ſpes, veluti decerpēdas, qui hûc omnes ſuos conatus ſtudiáq; referrent, vt Iudaicū populū, in miſerā ſeruitutē abducerent, ciuitatem ſanctā demolirentur, templum celeberrimū exurerent, & omnia funditùs deuaſtarent? ita fiat, dicerent illi, temporario tantum ſupplicio (vt nobis eſt in votis) afficiantur Iudæi, regno expoliētur, & ciuitatis faciant deditionē, & in poſtremā tandē à nobis ſeruitutē propriis ſedibus, & relicta patria ducantur. Cæterùm quæ poſt hāc vitā vētura prædicis, nihil omnino curamus, ea tātū mente cōprehēdimus quæ veniūt ſub ſenſus,

ſus,his verò rebus nihil meliùs aut præſtã-tiùs cogitamus. Iam ea quæ de homine, adulteriis,aut alio quouis facinore depræhẽſo Hieronymus ſtatuit,theologi videãt an cũ veritate omni ex parte conſentiant. Ego ſanè nunquam mente ſatis comprehẽdere poſſum,cur de Aegyptiis & Sodomitis,qui propter impietates grauiſsimas ad vltimum interiêre,&illo qui adulterio aut ſtupro correptus, iudicis ſententia morti adiudicatur,tàm diuerſa ſit ratione ſtatuẽdum & iudicandum. Quòd ſi ipſa ſceleris grauitas in homine adulteriis corrupto,efficit vt geminæ ab illo pœnæ & ſupplicia repetantur:cur igitur non idem de Aegyptiis & Sodomitis hominibus iudicemus, quorum fuere immaniora flagitia? ſed ab eo fortaſſe dices, quem libidine corruptũ fecimus, mortalis homo pœnas ſumit: & iuxta leges humanas admiſſum facinus in pœnam depoſcit. Longè ſecùs ſtatuẽdum ſit de iis,in quos Diuina ipſa prouidentia, aliquod ſuæ iuſtitiæ exemplum declarauit. Nonne magiſtratus omnes, & publicè in ciuitatibus functiones, Diuina ſemper autoritate animaduertunt in homines ſontes,& Reipub.perturbatores? An non Pau

lus

lus miniſtros Dei appellat in vindictam, eos,qui iure,qui ferro publicam pacẽ tuentur? An non ipſa magiſtratus inſignia, vt gladium, faſces,cæteráque id genus, quibus aut impiorum cohibetur audacia, aut corripiuntur flagitia, Diuina etiam autoritate hominibus conceſſa Paulus arbitratur? Non eſſet difficile magnorũ virorum autoritate & argumentis, partim ab ipſa antiquitatis memoria,partim à naturę fontibus quæſitis ſuadere, nulla vnquam autoritate humana legem conditam de inferenda morte,ſed Diuina potius, tum ſi leges aliquæ humanæ mortis ſupplicio in grauiſsimum aliquod flagitium animaduertunt à Diuina lege id autoritatis deriuari. Sed vereor ne fortaſſe Chriſtianum lectorem tædio afficiã atque moleſtia. Itaque cùm adulter morte mulctatus, etiam à iudice Diuina authoritate puniatur,non ſecus atque Aegyptij,& Sodomitæ, quare potius in ſtupratorem duplex excitetur afflictio, quàm in homines lõgè corruptiores? Scio quoſdam magni nominis autores dum Diuinam bonitatem extollere & mitigare imperij ſeueritatem nituntur, ita ſententiam pronuntiauiſſe ſuam, vt cum

Hieronymo aliqua in parte conſentiant, illud pro conſtituto habentes, Diuinam iuſtitiam nunquam duplices ab eodem flagitio pœnas repoſcere, vt propheticum videtur polliceri oraculum. Hoc argumēnto fortaſſe ducti, quòd ſcelus omne aliquo ſupplicio & grauiori pœna expiatum, extra iudicium eſſe, humanis ſit etiam legibus ſancitum. Quid verò de Diuina clementia & bonitate iudicandum ſit, quæ tam propenſo ſemper animo eſt ad remittenda ſcelera, vt ſacræ teſtantur literæ? Sed habet nihilominus quæſtionem iſtorum aſſertio. Nam ſi ita foret propheticus locus intelligendus, vt illi arbitrantur, quod ego nunquam potui in animum inducere, nulla neceſsitate (vt mihi videtur) cogimur, vt Diuinam iuſtitiam & poteſtatem tam latè patentem, intra anguſtiſsimos & breuiſsimos limites compellamus. Decet profectò mētem illam, quæ æquiſsimo ſemper conſilio omnia moderatur & regit, tantum ſeueritatis hominibus declaret, quantum ſat eſt, vt ſummum imperium ab omni vindicet contemptione. Quæ tamen lenitate ſemper mitiganda eſt, & cōprimenda, ne latius quàm par ſit in humanum genus

nus

nus ſæuiat ac furiat. Ex quo fit, vt omne ſcelus, quod legitima fuit pœna expiatum, nec debeat, nec iure poſsit in iudiciũ ſubinde vocari. Sed cùm impius poſt dimiſſum facinus, in autorem tanti beneficij ingratus deprehenditur, neq; ab ſtudio peccandi diſcedit: cur quæſo Diuina iuſtitia, ſumma ſeueritate in antiqua flagitia animaduertere non poſsit? Magiſter Sententiarum loco iam à nobis in ſuperioribus adducto, quorundam refert ſentẽtiam, qui nullum facinus ſufficienter expiatum arbitrarentur citra perſeuerãtiæ donum, ita vt Diuina iuſtitia iure nõ poſsit ab eodem flagitio pœnas repetere. Quam exiſtimationem non omnino reiiciendã putat. Ego verò quantum vtraque ſententia probabile habeat, in aliorũ opinione & iudicio relinquere malo, quàm in oratione mea ponere. Refert Diuus Hieronymus ex Hebræorum Commentariis, in eum ſenſum accipiendum eſſe oraculum propheticum, vt vanas ſpes Aſſyriorum exagitet, quibus falsò ſibi pollicebãtur totius gentis Iſraëliticæ diram conſumptionem, non tãntùm decem tribuum, quas ſuis ſedibus pulſas, in Aſſyriam per id tempus abductas legi-

mus,ſed & duas reliquas, Iudam & Beniamin, quas obſidionis metũ ſuſtinere diutius nõ poſſe arbitrabãtur Erat enim ciuitas ſancta obſeſſa maxima multitudine (vt diximus) & oppugnabatur vehemẽtiſsimé. Quid ergo cogitatis contra Dominum, quaſi penitus gentem Iſraëliticam, & populum ſibi chariſsimum ſuſtollendum decreuerit? Non conſurget duplex tribulatio, neque Iudaicæ gentis conſummationem faciet, tametſi à vobis vi, metu, ferro obſeſſa teneatur. Liberabo ego illam ſummis obſidionis periculis, neq; feram æquo animo Aſſyriorum gladium in viros omnes Iſraëlitas vſq; ad exitium & interitum deſæuire. Explicata à nobis Hebræorum quorundam ſententiã Rupertus cum corrigere fortaſſe cuperet, vehemẽter deprauauit. Nam quæ eſt diſcordia gẽtis Iſraëliticæ ac Iudaicæ de acerba ira, & intimo odio & inueterato adducit, vt vera ſint, videre tamen non poſſum, neq; mẽte ſatis percipere, qua poſsit Rupertus ratione cuipiam ſuadere, duas tribus reliquis decẽ in tam acerbum odium veniſſe, vt ab Aſſyriis diripi & deuaſtari funditus propriam gentem in votis haberent. Cùm totus ſermo

proph

propheticus, deinde in eum ſemper finem decurrat, vt Aſſyriorũ gẽtem, vel ab impietatis ſtudio auocaret, vel omnem eripiat excuſationis probabilis & iuſtæ cauſam: quî fieri poſsit vt ad decem tribus orationem ſubito conuertat, & illarum cogitatus, tanquam leues, futiles & vanos reprehendat? Sed vt ad inueſtigandos huius loci ſenſus germanos, noſtrã iam traducamus orationem, inde ſanè ſcribendi initium ſumemus, vnde & propheta Nahum exordium ſcribendi ducit. Fuerunt ſancti vates ſuo ſeculo (vt in ſuperioribus dixi) præcones Diuini verbi, & correctores prauitatis humanæ: atque hûc ſemper incredibili ſtudio nitebantur, vt & naturam illam rebus omnibus ſuperiorem mortales agnoſcerent, & illius poteſtate agnita, omnem numini iuſtitiam & pietatem tribuerent, ac debita religione ac cultu venerarentur. Quocirca in eam rem ſemper omnes orationis propheticæ neruos intentos videre liceat, vt ſummi Dei potẽtiam, ſapiẽtiam, bonitatẽ hominibus declaret. Tota enim hominis fœlicitas ab iſtarum rerum cognitione & comprehenſione certa pendebat, neque aliam ſibi munire viam poterat ad

aſſequendam ſupremam beatitudinem in cœlis ſibi repoſitam. Multis itaque ac grauiſsimis argumentis, & quaſi rerum notis, cùm ad faciendam Diuinorum fidem vterentur: illud etiam atque etiam frequẽtius premebant atque inculcabãt, quòd humanæ mentis cogitatus, & conſilia omnia etiam abditiſsima, Diuinis oculis expoſita oſtendebat. Neq; enim vllum poterat eſſe argumẽtum, aut efficacius Diuinæ ſapientiæ ſignum, quàm id quo ea omnia, quæ ex humano ingenio naſcuntur, oculis ſubiecta numinis certa ratione firmabat. Cùm enim ea quæ videri poſſunt, & mentis acie deprehendi, aut naturales res ſint, aut humanæ, ſíntque naturales, vt in plurimum, conſtantiſsimæ, humanæ verò variabiles, quòd à principio maximè volubili naſcantur, omnem vtique facultatem naturæ excedat neceſſarium eſt conſiliorum humanæ mentis, & cogitatuum cognitio. Inter cætera, quæ profana philoſophia Diuinæ menti, tanquam verè propria deferebat, principem ſemper locum obtinuit iſta rerum exactior cognitio. Orpheus poeta vetuſtiſsimus, hãc incõprehenſibilem rerum ſcientiam eleganti carmine cõplexus eſt,

πάντα

πάντα ἐφορᾷς, καὶ πάντα ἐπακούεις, καὶ πάντα βραβεύεις, id eſt, Omnia vides, omnia audis, omnia gubernas. Plato cognomento Diuinus, atque illius ſcholæ ſectatores (vt antiqua poetarum de re iſta teſtimonia libens prætermittam) omnia eſſe numinis ac Diuinitatis plena aſſerebant, quæ humanis oculis quodammodo, & auribus ſeſe inſinuet, ſemperq; occurrat, noſtráque cogitata complectatur. Homerus ὕπατον, id eſt, ſupremum, & εὐρύοπα, id eſt, latiſsimè cernentem, Deum appellat, quaſi ſolus Deus tãtos, tam inſignes ac pulchros poſsit ſuſtinere titulos, ſupremi, ſciẽtíſq; omnia. Hanc rerum excellentem comprehenſionem Diuina mens ſibi tribuit. Pſal. 93. & 138. Eſa. cap. 1. aliíſque innumeris locis. Chriſtus Ieſus redemptor noſter, qui Diuinæ naturæ (quam cum patre parem habebat) impiis Phariſæis fidem facere. Matt. 9. Luc. 5. dicebat, Quid cogitatis mali in cordibus veſtris? Fecerat vtique in argumentum aſſerendę Diuinitatis, miraculum quo nullum poterat eſſe aut efficacius ad faciendam fidem, aut potentius ad declarandam ſupremam in res omnes poteſtatem. Donauit paralytico errata, & antè

actis ſceleribus neceſſarium dederat laxamentum, quod in ſola numinis poteſtate poſitum nemo vnquam, imò neque Phariſæi (qui animo ſemper in Chriſtum redemptorem infenſo fuere & inimico) dubitarunt. Sed ſunt inter portenta ipſa Diuino conſilio & voluntate confecta, quædam quæ ſub ſenſus hominum veniunt, vt mortuorum ſuſcitatio, membrorum humani corporis, vel læſorum, vel luxatorum reſtitutio, cæteráque eius generis, quæ recenſere immenſum & ſuperuacaneum ducimus. Sunt alia, quæ ſola mentis comprehenſione & ratione concipiantur, vt delicti atq; ſceleris remiſsio: quorum quia ſecretior eſt operatio, & ab omni ſenſu plurimum remota, nihil de illis humanum ingenium, quod certũ ſit ſtatuere poſsit: ſola enim fide retinet, quæ omnẽ mentis cõplexum & facultatẽ excedit. Illa verò prodigia atq; portẽta poſtremo in loco reponemus, quæ quãuis ſub ſenſus venire nõ poſſint, ſunt tamen aptiſsima ad faciendã fidẽ earũ rerũ, quæ dubiæ eſſe vidẽtur: ita vt de illis nemo neque veſanus quidem hæſitare poſsit. Eius generis ſunt rerũ futurarũ cognitio, & conſiliorũ & cõgitatuũ humanæ

mentis

mentis, certiſsima atque conſtãs comprehenſio. Inter quæ duo, illud tantũ diſcrimi nis eſſe videtur (tametſi Diuinæ ſit faculta tis propriũ vtrunque) quod ad afferendam autoritatẽ rebus præſentibus, & amouendã omnẽ mendacij ſuſpicionẽ, maiorẽ rerũ ſcientia illa humanorũ cogitatuũ efficacitatẽ haberet, quàm quæ circa rerũ contingentiũ infallibilẽ verſatur cõprehenſionẽ. Cùm enim in argumentũ veritatis cuiuſpiã ipſos aperimus mẽtis alienæ cogitatus, quaſi rerũ aſpectus, & euidẽtia certiſsima, violẽtia quadã ſecũ rapit eum qui credere debeat. Quis enim qui non ea laboraret mentis corruptione & deprauatione iudiciorũ, qua impij Phariſæi quondã, occultiſſima proprij animi cogitata expoſita videt, & quaſi ante oculos corporis cõſtituta, rem arbitratur cõmentitiam, aut fraudẽ pertimeſcat, vbi tã apertas agnoſcit notas veritatis? Ex quo fit vt Chriſtus R. N. non ſine maturo ac prudẽti cõſilio poſt prodigium illud remiſsi peccati, ac relaxati delicti nefariis hominibus reuincẽdis, cogitatuum humani animi, ſecundo loco, certiſſimã ſcientiã cõmemorarit, dicẽs, Quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Ego ſanè

dubitare nõ poſſum, quin ſi Phariſæorum conſcientias, quarũ magna in omni actione & negotio vis eſt, interrogaremus, Ecquid vobis de tribus illis prodigiis videtur, curatione videlicet paralytici, remiſſione peccati, & veſtrarũ cogitationum cognitione certiſsima? aut quo potiſsimũ argumento Chriſtus veſtros percelluit animos, & ſtupentes detinuit? Reſponderent plurimum habuiſſe admirationis, reſtituta homini miſero & iacẽti integra ſalus, ante omniũ conſpectus, & illud præterea in magnam illos traxiſſe admirationem, quã de remiſsione ſceleris promiſsionẽ audierãt, ſed tandem ſtupefactos rei nouitate fuiſſe, cùm mentis conſilia in lucem & publicum hominum cõſpectum producta vidiſſent. Nã cùm hominẽ paralyticũ grauiter ægrotantem, in ſalutẽ reſtitutũ àc reuocatũ viderent, potuere fortaſſe impias mẽtes hæſitationes aliquot ſubire, ac de certiſsimo prodigio addubitare: nũquid Chriſtus R. N. illorũ oculis imponeret, ac ſenſus deluderet externos, qui cùm de rebus iudicant frequenter decipi ſolẽt. Tum ipſa ſceleris indulgentia, quã magiſter veſter libenter, infœlici ac miſerabili contulit, adeò perdi-

tis

tis Phariſæis Diuinitatis Chriſti fidẽ non attulit, vt blaſphemum potius, & in Diuinam mentem iniurium arbitrarẽtur. Erat enim res ipſa à mentis complexu adeò remota, vt ad conciliandos illorum animos, propter inueteratam inuidiam, & conceptum odium intractabiles, minus videretur habere virium ac ponderis. Illa proinde fuit ſumma, atque aſſerendæ Diuinitatis Chriſti efficaciſsima ratio, & quæ ſola potuit illis omnem eripere iuſtam criminis excuſationem, quæ proprios animi cogitatus in publicum detulit. Quam neque negare poterant, ac ſi negarẽt, graues conſcientiæ reprehenſiones incurrere fuiſſet neceſſarium. Quibus facilè cernitur, in quem ſint à nobis verba Chriſti ſenſum accipienda: quid eſt facilius dicere, remittuntur tibi peccata, an dicere, ſurge & ambula. Vt ergo ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra remittendi peccata, dicit paralytico, Surge & ambula, tolle grabatũ tuum, &c. Non enim eo cõſilio hæc à Chriſto dicta exiſtimãdum eſt quaſi inter tria illa prodigia principem teneret locum languentis hominis repentina curatio, quod quidam falsò putarunt. Neque

quæ ad flectendos animos Phariſæorum, poſtremo loco, hominis iacentis adhibetur curatio, quos neque ipſa cogitationũ admirabili comprehenſione magiſter vitæ pertraxerat, quæ vt diximus, ad faciendam præſentium rerum fidem incredibilẽ habet vim & facultatem. In eum itaque finem Chriſti verba, totáque argumentationis ratio ſpectat, vt rudi populo & inerti, ſenſilibus ſemper rebus ac miraculis addicto, ſe ſequenti, craſsiori prodigio notas quaſdam Diuinitatis præberet: ne fortaſſe Phariſæorum verbis & autoritate, quæ ſumma apud Iudæos erat, ad pernitioſam prolaberetur infidelitatem. Poſsit iam diligẽs lector ex iis, quæ ſunt à nobis fuſius tractata, ei quæſtioni plurimum inferre lucis & ſplẽdoris, quæ à Theologis frequenter in ſcholis premitur & vrgetur. Nunquid Chriſti miracula, euidẽti ſatis ratione illius Diuinitatem aſſeruerint. Pendet enim propoſitæ quæſtionis ſolutio, ab iis quæ de cogitationũ humani animi ſcientia, & comprehenſione, Chriſti euangelium commemorat interdum. Atq; hoc fortaſſe prodigio vitæ mag. noſtræ religionis pondus, & autoritatem, quæ è cognitione Diuini

Diuinitatis Chriſti pendebat, firmare voluit. Iam ad ea quæ inſtituti noſtri ac proinde huius loci propria ſunt, accedamus. Sanctus propheta Nahum, vt Aſſyriorum gentem ad ſummi Dei timorem, venerationem & cultum adduceret, à re præſtantiſsima exordium ſcribendi ſumit. Quid cogitatis (inquit) contra Dominum, conſummationem ipſe faciet? Occupauerat Aſſyriorum animos & mentes exiſtimatio illa, Spreuit Hebræorum Deus ciuitatem iſtam & gentem, neque homines defendet aut tuebitur, quos exitiali odio proſequitur. Hæc mentis humanæ temeraria iudicia, & occulta conſilia animi, in lucem depromit propheta, vt magni Dei ſciētiam, ſapientiam atque potentiam, perditis hominibus contemplandam ac colluſtrādam proponeret, vt incuſſa graui formidine, & veri Dei timore, qui ad ipſos vſque mentis penetrat receſſus, à falſis religionibus & pernicioſis reuocaret. Egregius propheta Dauid, vt mortalium animis illius ſupremæ naturæ, inexcogitabilem declararet ſapientiam & ſcientiam rerum, prorſum incomprehenſibilem, tanquam rem longè mirabilem, excellentem illam facultatem

multis

multiſcelebrauit carminibus. Domine (inquit) probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſsionem meam, & reſurrectionẽ meã. Intellixiſti cogitationes meas de longè: ſemitam meam & funiculũ meũ inueſtigaſti. Quatuor ſunt in vniuerſum motus quibus incitantur animi ad cienda corpora: quorum priùs in animo efficiuntur, atque ingenerantur cauſæ. Aut enim ſedemus, aut ſurgimus, aut incedimus, aut recumbimus. Atque his quatuor motibus, omnes humanæ mentis explicantur actiones, & cogitatus omnes ad hos conferuntur: neque vlla poſsit eſſe cogitatio, quę nõ ad aliquam iſtarum motionem pertineat. Obiiciuntur enim noſtris animis res, quæ illam, vt corpus ſurgat, incitant & impellunt: alias verò obiectas interdũ videmus, quæ ſedendum eſſe, alias quæ ſtandũ, alias quæ recumbendum eſſe declarent. Nonne igitur magnam habet admirationem, iſtarum rerum principia, & cauſas notiſsimas Diuinæ menti eſſe, nullámq; in noſtris animis rem tã eſſe arcanã, quam nõ perceptã exploratámque habeat? Hoc enim, vt ego exiſtimo, ſignificare voluit vates, cùm ſeſſionẽ excitationémq; meminit. Nam ſunt

motio

motiones ipſæ corporeę etiam hominibus notiſsimæ: quibus autē ex cauſis incitetur homo, & actiones externas exequatur, ſolus Deus nouit. Quā rem ſi mortales attenderēt, multas abſurdas nefariáſque à ſe cogitationes depellerēt. Sed quid facies, quādo nec actiones ipſas turpiſsimas, ſub oculis Diuinę maieſtatis, & hominibus aſpiciētibus, perpetrare erubeſcimus? Deinde verò de cognitione exactiſsima noſtrorū cogitatuum adiecit, Intellexiſti cogitationes meas de lōgè &c. Quēadmodum enim animos noſtros adit, atque inſpicit, & acceſſu quodam inexcogitabili ſubit, aſpirátque, intacto carneo velamine, ad ſedem mētis, eámque aſpicit cogitātem: ita etiā noſtros à longè cogitatus intuetur, & à remotiſsimis tēporibus: habet enim omnē ante oculos æternitatē. An verò hoc cognoſcat, ꝑpter Ideas mēti & animo illius cōpreſſas, nō ego auſim affirmare, Cùm ſint præſertim Ideæ, cognitiones etiā, & nulla alia re ab illis niſi nomine differētes. Neque illam prætereà huius cognitionis cauſam adducam, quòd Diuina mēs omnium rerū principiū ſit. Neque enim autor malorū Deus eſt: neq; idcirco proſpexit lapsū Adæ, aut ange

angelorum prolapſionem,& miſerabilem caſum,quòd iſtarum eſſet impietatũ, aut autor,aut cauſa.Iam quod ſequitur,Semitam meam & funiculum meum inueſtigaſti,ad reliquas duas motionis partes pertinere non ambigo. Nam pro funiculo, ſeptuaginta cubationem tranſtulere:& Hebræi autores ad eandem videntur accedere ſententiam. Dixit autem ſemitam pro ingreſſu & motu qui proprius eſt animantis.Magnum me hercle,atque præclarũ Diuinæ ſapientię præconium,vt exploratiſsimos habeat motus omnes, quibus humana vita diſpenſatur:ſeſsionem & reſurrectionem,inceſſum cubationem. Si cubem (inquit Proph.)ſcis quid faciam,ſi proficiſcar,ſi ſedeam,ſi ſurgam,nullus motus,nulla aut corporis,aut animi affectio te latet. Sedeo,cernis quid moliar,quò memet vertam. Sto, extemplò aſpicis quid,quò ſpectẽ: cubo identidem. Nõ ergo eſt quò me vertam,vt oculos tuos effugiam. Hęc itaque, vt orationis vela iam contrahamus, qui hactenus plenis nauigauimus,illa rerũ ſcientia eſt,quam paucis ſanctus Propheta Nahum Aſsyriis mente complectendã proponit : quę vna potuiſſet ſatis aperire, quan

quantus eſſet ſummus ille Deus Niniuitarum hoſtis, cuius oculos, neque ipſa conſilia mentis animi ingenerata viſceribus, effugere poterant. Expoſita verò Diuinæ mentis, infinita rerum comprehenſione, quales eſſent Aſſyriorum cogitatus, & quæ conſilia impiorum, vno verbo explicauit, dicẽs, Conſummationem ipſe faciet. Exiſtimatis (inquit) Iudæorũ Deum tanta eſſe cupiditate vindictæ inflammatum & incenſum, vt ciuitatem ſanctam & populum electum funditus delere velit? Sed ô inanes & leues veſtras cogitationes, non enim ſatis habetis Dei ingeniũ, atque exploratam naturam, Corripit ille liberos, quos vnicè amat, vt ſolent parentes, qui indolem filiorum dubiam, & peiori loco poſitam, cùm blanditiis non poſſunt, dura caſtigatione coercent. Eò vſque tamen paterna progreditur indignatio quò ad liberos, ad virtutem feciſſe regreſſum videt. Nec duplici animaduerſione caſtigat, ſi vna tantùm poteſt illos in officio retinere. Neque ventura pellit hæreditate & amplo patrimonio ad primum facinus, cùm illos imitatores futuros paternæ virtutis & gloriæ, & rerum optime geſtarum arbitratur. Quod itaque

noſtras impietates hactenus longa obſidione caſtigauit, indicium fuit paternæ ſeueritatis, quæ ne cõtemneremus illius imperiũ, præſenti ſe periculo declarauit. Sed cùm videat iam in ciuitate noſtra viros omnes & fœminas, ſexum & ætatẽ omnem ad vota, preces, lacrymáſque conuerti, remittet vtique conceptam animo iram & vindictæ cupiditatem, & inimicitias deponet, & in ſuam gratiam & beneuolentiam redeuntes ad ſe liberos accipiet: neque duplicem excitabit afflictionem, vt vos inſani ac demẽtes cogitatis. Rabi Dauid Kimhi ad Niniuem referendum oraculum arbitratur, quæ vno eſſet impetu à Babyloniis diruenda, ac funditus deuaſtanda: Ait enim, vno impetu & incurſione tantùm conſumet & diripiet vos. Mihi tamen diligentius animaduertenti, proximè ad veritatem videtur ſuperior ille ſenſus accedere, tametſi probãtibus hominis doctiſsimi interpretamentum, non magnoperè repugnem. Sed cùm Aſſyriorũ leuiſsimi & inanes cogitatus exagitentur hoc loco, ſemper mihi ſuperior illa ſententia placet vehementer. Duplex ergo tribulatio (vt rem non admodum difficilem paucis explicemus,

mus, quibus totus eſt ſermo propheticus accommodandus) ea eſt, quæ partim in ſuperioribus, partim in ſequentibus vberius à nobis exponetur. Fuit altera ſumma animi conſternatio, & anxietudo regis Ezechiæ, totiúſque populi poſtremus in tanto periculo mœror: quæ & regnorum quartum volumen, & Ioſephus de antiquitatibus Iudæorum, lib. 10. Eſa. cap. 37. ſatis ſignificare videntur. Prior itaque afflictio illa eſt, quæ regem Ezechiam cogebat, incruſtatas auro tẽpli valuas expoliare, theſauros exhaurire regios, dilacerare veſtes, tributa & vectigalia pendere, ſaccum induere, totúmque populũ ad vota, preces, lacrymáſque conuerti. Huic mœrori & poſtremæ anxietudini, nullã aliam fore adiungẽdam, & propheta Nahum, & ſanctus vates Eſaias adducto iam à nobis loco, nõ obſcurè pollicentur. Vrbem hanc non ingredietur Aſſyrius (inquit Eſaias) & ſpiculum hûc non mittet, ſed per viam qua venit regredietur. Solo timore, & obſidionis graui formidine Deus Opt. Max. veſtros voluit percellere animos: cæterùm aliud genus calamitatis non excitabitur: neque duplex conſurget tribulatio. Reputet iam

noſtras impietates hactenus longa obſidione caſtigauit, indicium fuit paternæ ſeueritatis, quæ ſic cõtemneremus illius imperiũ, præſenti ſe periculo declarauit. Sed cùm videat iam in ciuitate noſtra viros omnes & fœminas, ſexum & ætatẽ omnem ad vota, preces, lacrymáſque conuerti, remittet vtique conceptam animo iram & vindictæ cupiditatem, & inimicitias deponet, & in ſuam gratiam & beneuolentiam redeuntes ad ſe liberos accipiet: neque duplicem excitabit afflictionem, vt vos inſani ac demẽtes cogitatis. Rabi Dauid Kimhi ad Niniuem referendum oraculum arbitratur, quæ vno eſſet impetu à Babyloniis diruenda, ac funditus deuaſtanda: Ait enim, vno impetu & incurſione tantùm conſumet & diripiet vos. Mihi tamen *diligentius* animaduertenti, proximè ad veritatem videtur ſuperior ille ſenſus accedere, tametſi probãtibus hominis doctiſsimi interpretamentum, non magnoperè repugnem. Sed cùm Aſſyriorũ leuiſsimi & inanes cogitatus exagitentur hoc loco, ſemper mihi ſuperior illa ſententia placet vehementer. Duplex ergo tribulatio (vt rem non admodum difficilem paucis explicemus,

mus, quibus totus eſt ſermo propheticus accommodandus) ea eſt, quæ partim in ſuperioribus, partim in ſequentibus vberius à nobis exponetur. Fuit altera ſumma animi conſternatio, & anxietudo regis Ezechiæ, totiúſque populi poſtremus in tanto periculo mœror: quæ & regnorum quartum volumen, & Ioſephus de antiquitatibus Iudæorum, lib. 10. Eſa. cap. 37. ſatis ſignificare videntur. Prior itaque afflictio illa eſt, quæ regem Ezechiam cogebat, incruſtatas auro tēpli valuas expoliare, theſauros exhaurire regios, dilacerare veſtes, tributa & vectigalia pendere, ſaccum induere, totúmque populū ad vota, preces, lacrymáſque conuerti. Huic mœrori & poſtremæ anxietudini, nullā aliam fore adiungēdam, & propheta Nahum, & ſanctus vates Eſaias adducto iam à nobis loco, nō obſcurè pollicentur. Vrbem hanc non ingredietur Aſſyrius (inquit Eſaias) & ſpiculum hûc non mittet, ſed per viam qua venit regredietur. Solo timore, & obſidionis graui formidine Deus Opt. Max. veſtros voluit percellere animos: cæterùm aliud genus calamitatis non excitabitur: neque duplex conſurget tribulatio. Reputet iam

Chriſtianus lector, & cum animo perpendat ſuo, nunquid ad explicandam ſuperiorem illam quæſtionem, in qua quæritur, vocentúrne à ſummo Deo in pœnam & ſupplicium ſemel remiſſæ impietates: locus Nahum prophetæ aliquid habeat virium, & nunquid ſponte an inuitè & reluctanter potius, ad firmandam alteram diſceptationis partem à quibuſdam trahatur. Sit quæſtio ipſa vtilis & opportuna hominibus, atque eius finis inuentio, vberes & ampliſsimos fructus Theologis afferat (nihil moror) vel eò ſaltem quod mẽs noſtra diſputando & diſcendo alitur, & cogitãdo ſemper aliquid & inquirendo, non tamen poſſum non magnopere demirari, quid in mentem doctiſsimis hominibus venerit, aut quis potuit illos in eum ſenſum impellere, vt propheticum oraculum ad aperiendam rem longè difficilem, momentum habere ac pondus arbitrarẽtur. Quis vnquã vel mediocriter in Dialecticis eruditus colligat in hunc modum? Prædixit propheta Nahum ad conſolandos Iudæos poſtremo mœrore confectos, ſummum Deum priori illa afflictione contentum, nullam aliam excitaturum: igitur relaxatæ impietates

& flag

& flagitia, nunquam gemino afficientur ſupplicio? An non potius probabilitatis plurimum contrarium videatur habere argumentum? Duplici contritione fore conterendos Iudæos prædictum à Hieremia legimus, & Iſraëliticam gentem duplicia accepiſſe pro omnibus peccatis, apud Eſaiam. Semel ergo punitum facinus & expiatum nouo aliquo ſupplicij genere à ſummo iudice corripitur aliquando. Sed nos neque hanc neque illam partem tuemur, illud tantùm retinemus fide, ac publico Chriſtianæ religionis conſenſu, & Diuini numinis inflatu, ſupremum ſpectatorem, & iudicem noſtrarum actionum, vt præmio & fœlicitate egregia virtutũ opera, ita etiam graui animaduerſione, & ſupplicio impietates omnes proſequi. Cæterùm an gemina aliquando caſtigatione eadem ſcelera, eaſdémq; impietates in pœnã vocet necne, cùm huius rei quęſtio, intelligẽtiæ noſtrę vim ac notionẽ fugere videatur, eã libenter prætermittimus. Hæc enim tantùm mihi in mentem venere, quæ dicenda putarem de oraculo Diuino, quod à Theologis frequenter publicis in diſceptationibus vrgetur.

Quia ſicut ſpinæ ſe inuicem complectuntur, ſic conuiuium eorum pariter potantium, conſumetur quaſi ſpica ariditate plena.

CVm ſit omnis eloquentiæ ratio circa opera vitæ (vt prudenter fuit à Fabio Quintiliano obſeruatū) natura ipſa ſemper in adducendis ac fingendis ſimilitudinibus imitanda eſt. Facile enim quiſq; ad ſe refert quod audit, atque ea ſpōte animi capere ſolent, quæ cognoſcunt. Fuerūt autem ſimilitudines inuentæ, ad inferendam rebus lucem & ſplendorē, quæ ſi longius petantur, nunquam illud efficiant, cuius gratia excogitantur ab hominibus. Quod autem alterius rei gratia illuſtrāda aſſumitur, clarius debeat eſſe eo, quod illuminatur. Proprium autē gentis Hebrææ fuit, ſimilitudinibus ad res aperiendas frequenter vti: è rebus tamen communibus atque conſuetis, vt à terra, ſemente, aratione, aliiſque rebus notiſsimis. A Geometria verò aut Arithmetica, aut Muſica, aut eis artibus, quibus ciuitates perſtrepere ſolent, quas non humanæ naturæ neceſſitas & indigentia, ſed luxus & ſumma animorum intemperantia excogitauit, nunquam, aut quàm rariſsimè. Quanuis enim

ſimil

ſimilitudines illæ, quæ obſcuræ ſunt, & à rebus ignotis petuntur, ſublimem faciant orationem, floridam, iucundam, mirabilem, multúmq; inexpectatæ nouitatis adferant, vtiliores tamen ſunt quæ magis domeſticæ, maximè ad conciliandam fidem. Adfert autem ſcriptura Diuina interdum ſimilitudines quaſdam, probationis gratia, quas rhetores inter argumenta recenſent, quemadmodum illæ, quæ de paſſeribus & liliis à Chriſto adducuntur, ad labefactandam, ac penitus diuellendam noſtris animis nimiam ſolicitudinem & angorem, & quaſi ægritudinem mentis circa res corporeas, quas partim ſtultitia noſtra, partim ſumma auaritia, infinitáque rerum cupiditas, conflare ſolent. Alias verò componit ad exprimendas rerum imagines, quæ magis ſunt huius loci propriæ. Aſsimilat itaque ſanctus propheta Nahum exercitus Aſſyriorum (& ſi Rabi Dauid Kimhi vlla eſt adhibenda fides) ciuitatē ampliſsimam Niniuem, illiúſque florentiſsimum imperium, ſpinis inter ſe implicatis atque perplexis, & arentibus ſtipulis, omni ſucco & viriditate deſtitutis. Quæ ſimilitudo, præter hoc, quòd nihil habet obſcurum, aut

ignotum, aptiſsimè exprimit Aſſyriorum ingenia, imò impiorum omnium conſilia, mores, conſuetudines, & Niniuitarum excidium & diram ſtragem, qua erat gens illa diripienda & deuaſtanda, incredibili venuſtate & elegantia mente cõplectendam & colluſtrãdam proponit. Occurrunt paſſim ſacras ſcripturas legentibus iſtiuſmodi rerum imagines & exemplaria, quibus bonorum ac malorum ingenia luculenter & perſpicuè exprimantur. Boni optimíque viri, frugiferis arboribus, vt in plurimum ſimiles eſſe dicuntur: fructus enim ſuis temporibus, & verbis, & actionibus vberrimè reddunt, & tanquam frondens ac vernans arbor, decentiſsima totius vitæ ratione, & mirifico omnium quæ dicunt, quæ agunt decoro, ſeu amœna vmbra, quoſlibet oblectant. Contrà verò perditos & profligàtos homines ſterilibus arboribus & pungentibus ſpinis aſsimilare ſolet. Illuſtris propheta Eſaias cap. 9. cùm multa atq; varia prædiceret aduerſus impios, ingenti ſe extollentes lætitia, & piis hominibus inſultãtes, impietatẽ ipſam, & quaſi omniũ vitiorum ſentinã, ſpinas appellat & vepres, potentiſſimis ignibus deſtinatas. Succẽſa eſt quaſi

ignis

ignis impietas, vepres & ſpinas vorabit, & ſuccendetur in denſitate ſaltus, & conuoluetur in ſuperbia fumi. Et cap. 10. de eadē re, Succendetur & deuorabitur ſpina eius, & vepres in die vna, & gloria ſaltus eius. cap. verò 30. cùm Aſſyriorum ſtultitiam, & ſuperbiā Regis Sennacherib vehementer exagitaret, dixit, Erunt populi, quaſi de incendio calcis ſpinæ congregatæ igni comburentur. Apud Ezechielem cap. 28. cùm Deus Op. Max. Iſraëlitico populo magnifica quædam & ſalutaria polliceretur, & impiorum omnium improbitatem & petulantiā ab electo populo & chariſsimo amouendam prædiceret, tentationis illud genus, quod ab impiorum ſtudiis naſcitur, ſpinam appellabat. Nō erit (inquit) domui Iſraël offendiculum amaritudinis, & ſpina dolorem inferens vndique per circuitum eorum. Inter cæteras ſimilitudines, quas Regius propheta Pſal. 66. ad declarandas impiorum hominum miſerabiles clades & exitia, illa quæ de ſpinarum interitu eſt, aptiſsima ſane videtur. Aſsimilat illos primò aquis dilabentibus, qua ſimilitudine etiam ſcriptura ſecundi Regum, primo cap. vſa eſt. Tum præterea conanti intenſo

arcu ſagittas iacere, cui tela in ipſæ arcus tenſione, atque iaciendi conatu, contorta & confracta, ire fruſtrà diſsiliant. Tertiò limaci intra teſtam ſuam colliqueſcenti & pereunti. Quartò abortiuo, quòd antè quàm lucem aſpexerit periit. Ac tandem poſtremò minoribus ſpinis, quæ nondum ſint aſſequutæ modum rhamni: vt intelligas impietatem profligandam antequam matureſcat. Itaque ne adducendis teſtimoniis ſcripturarum de re iſta, quæ ſunt planè innumeræ, plus æquo immoremur, hac potiſsimum imagine Diuina philoſophia impiorum ingenium, naturam, ſtudia omnia atque conſilia, prudenti ſanè iudicio, atque Diuino animo & mente complectendam proponit. Principiò ſpinæ & vepres; præter hoc quòd nullis ſunt vſibus aptæ, ſi manu fortaſſe illas contrectaueris, cruentam & laceram in ſinum contrahes. Improbi homines, & ſibi & aliis prorſum inutiles, & quaſi terræ pondus iners (vt eleganter ab Homero dictum accepimus) bonorum ſemper incommodis ſtudent, nec ſine aliorum graui detrimento & iniuria, proprios quæſtus & emolumenta parare ſolent. Deinde

de verò ſpinæ & vepres, cùm nullas oppor tunitates aut vtilitates hominibus adferant, ignibus abſumendæ, vt in plurimum reſeruantur. Nec ſecus impij homines & nefarij, quorum nullus aut vſus, aut commoditas, ſuíſque ſemper vtilitatibus ſeruiunt (nec ſine aliorum iniuria) æternis ignibus cruciandi à ſummo iudice Deo deſtinantur, vt ſint etiam vaſa aliqua contumeliæ in magna domo, in quibus eluceant exempla Diuinæ iuſtitiæ, & ſeueritas aliqua Diuini imperij perſpiciatur. Vides, Chriſtiane lector, quantum adducta ſimilitudo, gratiæ & venuſtatis habeat ad explicandos impios Aſſyriorum conatus & ſtudia, & miſerabile excidium & diras clades, quibus erant abſumendi, ciuitatem ſanctam, templúmque celeberrimum funditus demoliri ſtudebant, Iudæorum gentem, quæ ſuis finibus ac limitibus contenta, nullum vnquam incommodum illis intuliſſet, propriis ſedibus pulſas, in miſerabilem ſeruitutem abducere, diuitias & opes Hebræorũ, omnes fortunas ad ſe trahere, & omnia deniq; ſpinarũ & vepriũ inſtar dilacerare & diripere, vehemẽ-
ter

ter cupiebant. Implicatas verò memorat ſpinas & vepres, vt magnam Aſſyriorum conſentientem & conſpirantem, ac penè conflatam impietatem, & nocendi ſtudia, noſtris ſubiiceret oculis. Vt enim boni & & pietatis cultores, ad tuendam innocentiam, & publicam defendēdam libertatem conſpirare ſolent & conſentire: ita etiam & impij ad inſectandam innocentiam, & pietatem labefactandam, quorum imaginem & effigiem expreſsiſsimam in exercitu Sennacherib, & impiis Niniuitis, longa obſidione ſummi Dei populum, contra omnia iura atque leges vrgētibus liceat intueri. Fuit illud à Rabi Dauid Kimhi eleganter explicatum, inter cæteros, qui huic loco partem aliquam lucis & claritatis ſuis Commentariis intulere, quod de complicatis & conſertis ſpinis à propheta dicitur. Quid (inquit) humana induſtria & diligentia efficit, cùm in locum aliquem caſu incidit, qui vepribus ſpiníſq; obſitus ſit: neque vllum tranſeunti aditum præbet? Manibus attrectare conſertas inter ſe, & implicatas ſpinas non valet, neque ſi diuellere ſtudeat poſsit: וּמַה יַּעֲשֶׂה אָדָם. Quid tandem molietur homo? בָּאֵשׁ בִּמְקוֹמָם

ישׂרפם ignem (inquit) coniiciet vtique in locum ſpinarum,& vepres omnes abſumet. Quemadmodum ſanctus Propheta Dauid 2. Regum, ca. 23. morti vicinus dixit. Nam cùm Diuinam in ſe bonitatẽ quã egregiè fuerat expertus, multis carminibus celebraret, illud potiſsimum: quòd pacta & promiſſa, erga familiam ſuã, totámque poſteritatem, ingenti cura & ſtudio ſeruaſſet, multorum improbitate, petulantia & inuidia ſuperata: de impiis tandem non ſine Diuinæ mentis incitatione ſubiecit. Præuaricatores autẽ, quaſi ſpinæ euellentur vniuerſi: quæ non tolluntur manibus. Et ſi quis tangere voluerit eas, armabitur ferro & igne lanceato, ignéque ſuccenſo comburentur in ipſo loco. Sanctus ergo Propheta Nahum Aſſyriorum cõſpirationem, & conſenſum, ad demoliendam ciuitatem ſanctam, & Diuinæ vltionis vindictam, eadem imagine elegãter ſanè expreſsit: ac ſingula penè verba oraculi, ex antiquo Dauidis vaticinio mutuo accepit. Complicatas ſpinas innumeros exercitus Aſſyriorum, & ſummum ad inferendam pernitiem in populum Dei conſenſum: ignem potentiſsimum Diuinam faculta

culta

cultatem & vim appellans: quæ vna nocte impiorum conſpirationem potenter reſtinxit, & imperio denique ad vicinas gẽtes tranſlato, ad poſtremam miſeriam & ſeruitutem deiecit. Hanc nefariorum hominum aduerſum pios conſenſionẽ multis ſcripturarum locis, cùm Diuina potentia & imperio, magna contentione certantem, deprehendis Pſal. 2. maximè vbi eleganti Hipotypoſi adiuncta proſopopœia, Chriſtianæ pietatis hoſtes concurrentes cõſpirantes, conſultantes, & ſpinarũ inſtar vehementer inter ſe cõplicatos atq; conſertos à R. Propheta deſcribũtur. Ac deinde venuſtiſsima antitheſi aduerſum conuolantes homines, magno tumultu inducitur Deus quietus & ſedens, & quidem in Cœlis, quò nulla prorſum pertingit perturbatio. Accurrunt impij, loquentes multa, conſultantes, ſtatuentes molientes: cõtrà verò Deus tanquàm conantes impoſſibilia illorum ſtudia ridet, non ſecùs ac ſi ignis rideret (ſi illi perſonam affingas) ſpinas contra ſe conſpirantes: aut fortiſsimus miles, puſionem qui illum proſtrare, multis modis anniteretur. Hæc eadem ſanctus Propheta Nahum quaſi ante oculos

poſita

poſita cuncta cernebat, & temporis articulum illum, mente & animo complectebatur, quando ſummus Deus declaraturus eſſet exemplum ſuæ iuſtitiæ in Aſſyrios, inauditam vna nocte coaceruando ſtragem, & Niniuitas omnes ad vnum, in vltionem ſui contemptus, valido perſequentis ignis impetu prorſum abſumendo. Aliquam iam laboris noſtri partem in tractanda & cognoſcenda altera metaphora de ſpica ariditate plena, ponamus. Decet enim virum theologum tropos omnes Diuinæ Philoſophiæ cognitos habere & tractatos. Eſt frequens hæc verborũ tranſlatio in ſcripturis, qua impij omnes & ſceleribus addicti grauiſsimis, vel paleis, vel quiſquiliis, vel ſpicis arentibus aſsimilantur. Illuſtris Propheta Eſaias capite 17. vbi aduerſum Ephraimitas & Syrios, dira quædam, & horrenda pronunciat, decem tribus in ſeruitutem & miſerandam captiuitatem abducendas, ſpicis aſsimilat arentibus, quæ tempore meſsis, cùm ſegetes ad maturitatem acceſsêre, falce à meſſoribus ſubſecantur. Habet Diuina prouidentia temporis rationes, & opportunitates gerendarum rerum alta mente

repo

repoſtas: nouit optimè quando adſit occaſio atque tempeſtas corripiendi ſceleratos homines, ſuis impietatibus conſeneſcẽtes. Ex quo fit vt tempus caſtigationi opportunum eleganti tralatione verborum, aut vindemiam, aut meſſem appellet. Quemadmodum enim cæteris rebus, vt herbis, plantulis, ſegetibus, eadẽ prouidentia Diuina, certa quædam tempora admirabili prudentia ſtatuit, quibus aut è ſinu terræ, & molli complexu erũpũt, aut intra vaginam ſenſim adoleſcunt, aut geniculata iã ſtipula, vehementi ſyderis calore exareſcunt: non ſecus de tempore & occaſione animaduertendi in nefarios homines, iudicandum eſt. Nouit agricola rei ruſticæ peritus, quanto tempore frumenta intra vaginam occultari debeãt, quibus diebus florere, quando etiam ad plenum ſint arida: ac tunc tandem falce reſecat ſtramẽta. Multa de re iſta apud M. Varronem 1. libr. de re ruſtica, diligenter animaduerſa reperies: quæ ad explicandam prophetarũ frequentem hãc metaphoram, mirabile ſuggerant adiumentum. Summus ille Deus, qui ſe Agricolam frequenter appellat in arcanis literis, probè tenet temporũ ſpacia,

cia, nouítque optimè quando operandi oportunitas ſingulis temporis partibus ſit adiuncta. Itaque nefarij nunc quidam, veluti è terra erumpunt, & herbeſcunt vt ſegetes, nunc in vagina verſantur, nunc florent, vt ſolent frumenta, nunc verò multis peccatorum acceſsionibus, quaſi ſpicæ aut paleæ, vrgenti ſyderis calore torreſiunt. Quãdo verò tempus maturitatis frugum accedat, quando peccatores ſatis ad interitum & perditionem ſint apti, quando ſit adhibenda caſtigationis falx, ſupremus agricola ſolus nouit, qui tẽporum commutationes, varietates, viciſsitudines, ad decoctionem frugum quadripertitas diſponit. Hoc eſt tempus illud in ſcripturis celebratiſsimum, quod nunc viſitationis, nunc vltionis, nunc trituræ, ſiue meſsionis appellatur. Hieremias cap. 51. multa in Babylonem prædicit, grauiſsima quidem & horrenda, è re ruſtica tamen ſumpta metaphora: nam de interitu & perditione illius ciuitatis, ac proinde totius imperij aiebat, Filia Babylonis quaſi area, tempus trituræ eius, adhuc modicum, & venit tempus meſſionis eius. Non ſunt omnia tempora reſecandis peccatoribus & triturandis apta,

expectat peritus agricola tempeſtiuam maturitatem, & benignè præſtolatur flagitioſi hominis regreſſum ad virtutem & pietatis cultum. Cùm autem proſpicit peccatoris animum tanquam ſpicam plenam ariditate, nullum habere virtutis ſuccum, in profundum malorũ veniſſe, nullam reſtare horam boni cooperatricẽ, arida ſtramenta, falce reſecat, & æternis ignibus paleas inutiles committit. Ferebãt æquo animo benignus agricola impios Amorrhæos, quòd non eſſent illorum impietates impletæ, neque ad debitam & tempeſtiuam maturitatem acceſsiſſent. Erãt frumenta aut in herba, aut in vagina, aut in flore, quocirca ſpectabat meſsionis tẽpus, quo accedente, funditus deleuit gentem illam. Hæc ſunt Diuinę mẽtis occulta conſilia, à noſtræ mentis intelligentia longè remota, quibus ſingulis hominibus, regionibus, gẽtibus, imperiis, tempora quædam & limites temporum ſtatuit, quibus aſſerendi ſunt, aut ſpectandi inſtar ſegetũ, aut reſecandæ Diuinæ iuſtitiæ falce acutiſsima. Huius metaphoræ vim & certam cognitionem, impij omnes ab exorto mũdo, & nato homine, ſuo malo fuere cõſequuti.

Legim

Legimus enim innumeras gentes,& imperia florentiſsima, propter contemptum Diuinæ caſtigationis,contumaciter in ſceleribus perſtitiſſe, quouſque tandem opportunum tempus, & aptum nactus agricola,tanquam ſpicas ariditate plenas reſecauit,& tradidit ignibus abſumendas grauiſsimis. Graui proinde cõminatione Aſſyrios deterret,& à Dei contemptu & ſtudio peccandi reuocat vates, cùm tempus meſsionis & trituræ inſtare pronuntiat, quando totum robur exercitus illorum,& delectæ flos iuuentutis dira pernicie,& inaudita vſque ad tempus illud clade, erat abſumendus.Nam eò vſque proceſſerant Niniuitarũ impietates, vt quaſi arida frumenta nouo Diuinæ iuſtitiæ exemplo eſſent ſubſecanda. Habet etiam illud venuſtatis gratiam(ſi metaphoram amplius velis vrgere) quòd eis rebus propheta Niniuitas aſsimilat, quæ ſi ignibus tradantur, nullum penè veſtigium ſui relinquãt. Fuit hoc à Rabi Dauid Rimhi prudenter ſatis excogitatum. Spinæ enim & ſtipulæ, ſi in eas incidat ignis,non carbones, vt ligna ſolent, & prunas ardentes efficiunt: ſed leuiſsimos cineres, qui leuiori quocunque

flatu diſsipantur & pereunt. Nomen autem Aſſyriorum, Regnum ampliſsimum, & imperium tanta fundatum mole, inſtar ſpinarum aut palearum, Diuinæ caſtigationis igne correptum, quaſi in cineres & fauillas leues redactũ, nullum ſui reliquit vestigium, ita vt quemadmodum inquit Rabbi Dauid, שֶׁהָיָה שָׁם עִיר מוֹשָׁב לֹא יִהְיֶה נִכַּר מְקוֹמוֹ Niniues ciuitas opulenta, & hominum frequentia celebris, in aliorum ditionem & poteſtatem tranſierit, & ab imis fuerit fundamentis euerſa. Quod autem de conuiuio pariter potantium meminit, ſanctarum ſcripturarum more, vt illud prætermittamus, quod Sennacherib, qua nocte totus illius exercitus dira fuit clade conſumptus, principibus ac nobilibus permagnificum inſtruxit conuiuium (vt Lyranus è quorundam commentariis refert) ſtudium & conſpirationem nefariorum hominum, in perniciem ſanctorum ſignificare, ambigere non poſſum. Nam ſolent impij & innocentiæ ſectatores acerrimi inter lautiores epulas, & calices fœcundos, de profliganda pietate, & iuſtitia ſuſtollenda, inter ſe conſultare. Matth. 14. Herodes impius, & Herodias

fœm

fœmina petulantiſsima, & libidine perdita, vino confecti, cùm iam inter menſas omnia ſaltu atque riſu, & ebriorum vocibus perſonarent, ventribus diſtentis, nimia ciborum copia & redundantia, iniqua inter ſe agitare conſilia de trucidando homine ſanctiſsimo cœpere. Pōtifices verò & Phariſæi poſt longas compotationes (vt quorundam monimentis proditum legimus) delectam militum manum, ad comprehendendum autorē vitæ miſerunt. Quid prætcrea Daniel refert 5. cap. de Balthaſaro Rege Babylonio, nulli poſsit eſſe obſcurum. Poſt ampliſsima conuiuia, & immoderantiæ plena atque luxus, vaſa ſacra è Hieroſolymitano templo ſublata, in prophanos cœpit vertere vſus, quod cæteri Reges ſacrilegium auerſati, in ſacro ſemper repoſuerant. Accidit verò ſpectante Rege, vt manus ex aduerſo pariete exorta, hæc pauca ſcripſerit: Mane, Thethel, Phares. Quæ, vt Ioſephus autor eſt, numerorum pondus & fragmentum ſignificant. Accedente itaque Daniele, ac triſte nuntium, & infœlicem conuiuij exitum Regi denuntiante: poſtremò cùm Rex numen Diuinum, cuius prouidentia omnia fiunt,

ſibi haberet infenſum, dinumeratis illius annis, appensáque vita, Regno & Imperio ad Medos Persáſque tranſlato, ſuo malo cognouit, quos ſoleant longiores compotationes & conuiuia immoderata & inhoneſta habere fines. Sanctus Propheta Eſa. cap.5. inter cætera populi Iſraëlitici flagitia, tanquam grauiſsimum commemorat conuiuiorum ſtudium, & epulares accubationes frequentes, multis ac variis inſtrumentis muſicis perſonantes. Idem efficit cap.49. quòd hæc duo ſatis per ſe poſſint hominem à ſtatu rationis dimouere, & neruos omnes virtutis & iuſtitiæ diſſoluere. Hieremias cap.16. & Petr. 2. Canon. cap.1. cæteríq; Diuini ſcriptores frequenter conſueuere hoc argumenti genus, premere & vrgere. Nemo itaque arbitretur ſanctum prophetam Nahum temerè aut citra delectum aliquem, poſtquam ſpinas complicatas, & inter ſe conſertas meminit, conuiuij & compotationis longioris mentionem intuliſſe. Nam vt frequenter aliàs de inſectandis Iudæis, & demolienda ciuitate ſancta, & ſacra prophanandi conſultauiſſent: dubitare tamen non poſſum, inter lautiores epulas & plenos calices, cùm

long

longiori vini hauſtu animi incaluiſſent, cepiſſe Aſſyrios noua conſilia capiundæ vrbis, ac deuaſtandæ. Hebræi autores conuiuium hoc loco & compotationem, ad conſternationem animi, & trepidationem referendam cēſent, ita vt Aſſyrij tanquam ebrij, nullo poſsint conſilio ingruenti occurrere tempeſtati, & periculo grauiſsimo. Nota res eſt, ac peruulgata legentibus arcanas literas, grauiores afflictiones, & altè cadentia pericula, ebrietatis appellatione interdum ſignificari. Hieremias propheta cap. 13. aduerſum habitatores terræ, & homines adhæreſcentes humi, tanquam grauiſsimum ſupplicij genus ebrietatē intentat & temulentiam, ita vt quaſi vino confecti & obruti, conſilij prorſum ignari atque inopes inter innumera mala, ac rerum difficultates; neſciant quid fugiendū ſit, quídve ſectandum. Non omnino Hebræorum ſententia reiicienda mihi videtur, ſanctarum literarum proprietates loquendi, & idiotiſmos conſideranti. Satis enim ſpiritus cœleſtis, cùm Aſſyrios pariter potantes & conuiuiis & epularum accubationibus indulgentes deſcribit, ſignificare videtur, temulentia & ebrietate fore corripiendos.

Eſaias autem cap.24. ad explicandas graues tribulationes & afflictiones innumeras, quibus nefarij homines erant exagitandi, totam terram ebrietate afficiendam & vino obruendam fore dicebat. Quibus facilè perſpicitur oraculum Nahum prophetæ, partim accommodandum Diuinæ caſtigationi, qua exercitus Sennacherib, dira pernicie vna fuit nocte proſtratus: partim verò cæteris cõſumptionibus grauiſsimis, quibus afflictæ res Aſſyriorum, poſtremò tandem interiere.

Ex te enim exiuit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans preuaricationem.

POtuiſſet fortaſſe quiſpiam ambigere, quibus ex cauſis Diuinæ mentis indignatio in Aſſyriorum gentem tam acriter deſæuire decreuerit, vt quaſi illius iracundia eſſet implacabilis, & inexorabilis omnino, ſic incitetur & ferueat, ad vltionem vindictæ more humano inflammata. Itaq; ſacer vates ne Aſſyrios diutius animi ſuſpẽſos teneret, & exponit cauſam, & rationem reddit, propter quam tam graues in Aſſyrios ac Niniuitas inimicitias conceperit. Multis aliis ſceleribus Deus fortaſſe

prouoc

prouocatus exitiali odio, vos, ô Aſſyrij, proſequitur. Sed illud inter cætera flagitia, quæ ſunt innumera, Diuinum animum potentius irritauit, ac veſtris rebus infenſum reddidit, quòd Sennacherib cùm bello Aethiopico fuiſſet interceptus, epiſtolam miſit ad Rabſacem imperatorem exercitus veſtri, qui per id tempus ciuitatem Hieruſalē obſeſſam tenebat, plenam omni conuitiorum genere, plenam contumeliis in Deum viuentem, ita vt illius nomen & imperium & dignitatē multis modis dilaceraret. Nam qui pro Rabſace ad Ezechiam Regem legatione fungerentur, nuntiabat (vt vetuſtiſsimis eſt proditum monimentis) non eſſe cur ab Aegyptiis aut Aethiopibus auxilia expectarent Iudæi, quorum vtranq; gentem ſubito bello Sennacheribus implicuiſſet. Stultè & Regem ipſum, & cęteros facturos, ſi à proprio Deo decepti, extrema omnia experiri potius, quàm deditionem facere voluiſſent, quę ſi tēpeſtiuè facta eſſet, fore vt aliquid ab ipſa victoris clemētia ſperarent: contrà, ſi vim experiri mallēt, ciuiū & vrbis certiſsimum expectarent excidium. Multa præterea in Deū contumelioſè iactata legimus, quibus

ſummam illius potentiam infra gentium idola, Aſſyrios duxiſſe, ſatis declarat. Video à viris ſapientibus in quæſtionem vocari, nunquid ſummus ille iudex, noſtrarum actionum & cogitatuũ inſpector, iure debeat aut poſsit in populum grauiori ſupplicio animaduertere, propter principum ſcelera, & eorum qui honeſtiſsimum tenẽt in Repub. locum? Nam ſi illa maior neceſſitudo, & nexus, qui inter parentes & liberos arctiſsimus eſt, nunquam efficit, vt aut parentes filiorum flagitia, aut liberi parentum impietates luant, dicente propheta, Pater non portabit iniquitatem filij, neque filius portabit iniquitatem patris, ſed vnuſquiſque in ſcelere ſuo morietur: quæſtionẽ vtique videtur habere, quod de poſtrema totius exercitus Sẽnacherib *clade*, & cõſumptione totius imperij, propter cõtumeliã ab impio Rege ſummo Deo illatã, dicitur à ſancto Nahũ. Quomodo enim credere par ſit ſummi Dei æquiſsimã prouidentiã circa res humanas, ita ſingula moderari, vt eos qui nulla ſceleris cõſcientia, nulliſq; peccati ſtimulis agitẽtur, alienæ impietatis atrocior pœna corripiat? Sed in arcanis literis, vnde certa ratio Diuinorum

conſil

conſiliorum nobis ſemper petenda eſt, illud, vt mihi videtur, multis eſt explicatum exẽplis, & autoritate Diuina firmatũ, principum ſcelera, graues frequenter clades in Remp. intuliſſe. Nemini obſcurũ eſſe poſſit, quibus Aegyptiorũ gentẽ caſtigationibus Deus Op. Max. afflixerit, propter Pharaonis duritiẽ, & mẽtis ſtuporẽ, quæ excitauerit incendia, in populũ Iſraëliticũ maiorum impietas, & ad alienas religiones & pernicioſas defectio. Illud autẽ inter cætera antiquitatis exẽpla accõmodatiſsimum ad rẽ explicandã mihi videtur quod 2. Re. c. 24. legimus de ſancto Dauid. Cũ enim omnibus circa gentibus pacatis, religionis ſtudia incredibili diligentia complecteretur, & hymnos trimetros edidiſſet, & cum his pentametros verſus plurimos, qui ſabbatis feſtíſq; diebus ſacris ſolẽnibus canerentur, adieciſſet præterea decachordẽ cytharam, & nabla duodecim vocum, cymbala ærea, grandia quidem & lata, placuit omnem Iſraëlitarum gentem cenſeri Ioab imperatori exercitus, & ſcribis negotio dato. Itaque cùm nouem mẽſiũ ſpatio res acta eſſet, ac prҿter Beniaminam tribum & Leuiticam, quas numerari non contigit,

vndec

vndecies centum millia virorum, qui arma ferre potuiſſent, cenſa dicerentur, expiandum hoc facinus non tantùm à Rege, verum etiam à populo propheta proclamat: luendúmq; vel fame publica, vel hoſtium victoria, aut certè peſtilentia grauiſsima. Dauid autem ne ipſe fortaſſe extra aleam foret, periculi peſtilentiam optauit. Quò factum, vt pauciſsimis vnius diei horis, ſeptuaginta hominum millia conſumpta fuerint. Qua populi pernicie Dauid conſternatus, ſaccum induit, ieiunium agens, multis lacrymis humi ſedēs, veniam eſt à Deo precatus. Vetus Hebræorum opinio tenuit, gentem Iſraëliticam miſerabili clade ac dira conſumptam pernicie, quòd vi & armis Regem non cohibuiſſet à ſcelere Bethſabeæ & Vriæ, cuius atrocitas nō *vno* tantùm in loco ſcripturarū exponitur: ſed eorum ſententiam mihi minus probabilem reddit, quòd Regius propheta non tanta fuit animi impudentia, vt publicè & ante multorum oculos tātam impietatem aggrederetur. Magnus Gregorius propoſitam initio quæſtionem, diligenter ſatis, me iudice, explicat. Contigit frequenter, vt Principum, & eorum qui Reipubl.

præſunt, actiones ,& conſilia, cæteráque id genus,iuxta rationẽ meriti, eorum qui illis obſequuntur, diſponãtur. Vt enim ciuium egregia opera, Diuiníſque legibus conſentanea, nunquam debitis ſibi præmiis fraudantur,atque inter cætera beneficia,illud potiſſimum illorum virtuti, ac pietatis ſtudio impenditur,quòd bonis & optimis optimus etiam princeps à Deo decernitur:non ſecus cùm grauiſſimis ſceleribus Diuinam in ſe indignationem concitant,aut impio & nefario cuipiam ducendi traduntur,& gubernandi, aut qui alioqui bonus eſſet vir, & ad moderandam Rempublicam aptus,propter ciuium grauiſſima flagitia, & intolerabiles impietates,eam mẽtis veſaniam incurrit, vt omni ſe ſcelere cõtaminare non dubitet. Quemadmodum enim optima Reipublicæ inſtitutio,& principis erga virtutis cultum,aſſiduitas & diligentia ſumma,è ciuium meritis naſcitur,ita etiam & eorum qui honeſtiſſimum in ciuitate locum tenent,prolapſiones & pudẽdi caſus,omnis denique pietatis neglectus,illorum ſit ſceleribus interdum deputandum, qui magnorũ virorum ſunt imperio ſubiecti.Multa fortaſſe flagitia

tia Iudaicæ gētis erāt, propter quæ æquiſſimus Iudex,in illius pernitiem, Regē Dauid à ſcelere ſtupri,& homicidij non reuocauit,neque inuiolatum,integrum ac ſanctum ſeruauit,vti ſolebat : ſed illud (vt arbitror) Diuinam in populum indignationem,vehementiùs concitauit,& ad vindictæ inflammauit vltionem, quòd Siba hominem nefarium , & perturbatorem Reipub.deſerto proprio Rege,magna ex parte ſequutus,aduerſus Diuinæ mentis conſilia,communi penè voce ac manu conſpirauit. Dedit impius ille debitas tanto flagitio pœnas(vt ſacris eſt literis proditum) ab Iſraelitica tamen gente, nunquā ſupplicia repetita legimus,ante Regis Dauid miſerabilem & infœlicem caſum.Itaque promeruit ſtultus populus , impia ac nefaria cum Siba conſeſsione Regis grauiſsimam ac deplorandam ruinam , & à vera animi pietate,defectionem:vt vtriuſque ſceleris dura caſtigatione corriperetur.Sed quemadmodum populus dira pernitie conſumptus,propria ſcelera , vtcunque expiauit, ita & Rex ipſe multis fuit calamitatū fluctibus iactatus (vt ſacra refert hiſtoria) ne vlla eſſet impietatis ac flagitij pars , quæ

non

non Diuinæ animaduerſionis vindictam experiretur. Cõtingit proinde frequẽter, vt ſolutior Reipub. vita, ac pietatis ſtudiũ in eos recidat, nouo ſupplicij genere ac peccato luendum, qui publicis funguntur magiſtratibus: neque ſecus accidit, cum ij qui aliorum curam, & proſpectionem ſuſcepêre, in graue aliquod flagitium prolabuntur. Repetuntur enim æquiſsimo Dei iudicio ab ipſis popularibus pœnæ, eorum quæ maiores admiſêre ſcelerum. Adde quòd Regius propheta potuit fortaſſe Diuinam ſibi conflare indignationem, (dum populi ſeditiones & tumultus, aliáque huius generis flagitia, non ea qua opus erat ſæueritate repreſsit) atque ita aliorum impietatem, quaſi propriam ac peculiarẽ efficere, vt Auguſtinus autor eſt, Comment. in pſal. 133. Hûc fortaſſe ſpectat quod inquit, Ab alienis parce ſeruo tuo. Nõ eſt ergò demirãdũ, aut Diuinæ prouidẽtiæ cõſilia & ordo æquiſsimus ſceleris inſimulãdus eſt, cũ Aſſyriorũ exercitus vna nocte proſtratos propter Regis graues & horrẽdas impietates legimus: tãta eſt enim inter principẽ & Rẽp. ſibi cõmiſſam cõiũctio, vt viciſsim alterius ab altero, Diuina iuſtitia

pœn

pœnas repoſcat, vt à magno Gregorio ſapienter fuit animaduerſum. Quæ verò de ſumma inter parentes ac liberos cõnexione à Theologis adducuntur, quæ ad aſſerendam & declarandam iudicis Dei æquitatem magnum videntur habere pondus, ex Ezechiele propheta, non ſatis poſſunt, vt mihi videtur expoſitam magnorum virorum ſentẽtiam labefactare, aut illorum autoritatẽ (quæ ſumma eſt) minuere. Sanctus propheta Ezechiel cap. 18. vt impiorũ quorundam, in populo Iſraelitico, plenas blaſphemiæ voces cohiberet, qui ſeſe aduerſus Diuina conſilia impudenter extollerent, in hunc modum aiebat, Quid eſt quod inter vos iactatis prouerbium iſtud dicentes, Patres noſtri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupuêre? Viuo ego (dicit Dñs Deus) Si erit vltrà vobis parabola hæc in prouerbium in Iſrael. Ecce omnes animæ meæ ſunt, vt anima patris ita & anima filij mea eſt. Et paulò procul, Anima quæ peccauerit ipſa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. &c. Acceperat Hebræorum populus vel Diuino aliquo oraculo & Cœleſti, vel publico

potiùs

potius rumore, & iactato multorum ore, collegerat ſermone, decem tribus grauiter affligendas, propter Hieroboā impietates, qui aliarū gentium cultus Deorū, & ſacra, in populum Dei primus inuexit. Iudā verò ac Beniamin propter Manaſſes atrocia flagitia, dura caſtigatione corripiendas. Eam itaque ob cauſam ſtulti ac dementes homines Deum inſimulantes, quaſi illius conſilia, ac ſummæ prouidentiæ rationes, longè eſſent ab omni æquitate remotæ. Non eſt æqua (dicebant) via Domini. Nam quo pacto animaduerſionis illud genus à ſumma æquitate non diſcedat, quo inſontes filij pro nefariis parentibus ac maiorū peccatis caſtigātur acerbè? Cùm ergo impias de Diuinæ prouidentiæ æquitate ſuſpiciones ſanctus propheta Ezechiel amouere omni niteretur ſtudio, quę à Deo accepiſſet, in mādatis exponens, aiebat, Non eſt, ô viri Iſraëlitæ, quòd ſummi Dei prouidentiam & curam rerum humanarum ſtultè damnetis. Neque enim patres filiorum iniquitates portabunt; neque filij parentum ſcelera ſuſtinebūt: ſed proprij peccati quiſque pœnas dabit. Iam verò quoniam quæſtio illa perdifficilis eſt, quæ ex

oraculis Ezechielis ducta, multorum vexauit ingenia,& viros pleroſque doctos & eloquentes in anguſtias compulit incredibiles: non fuerit præter rem prophetæ vaticinia de re ſatis obſcura explicare. Multûm enim negotij atque operis habet, difficiléque internoſci poſsit, quo pacto Diuina erga res hominũ prouidentia & proſpectio, omni poſsit culpa & æquitatis nota vacare, quæ primorũ parentum ſcelus & neglectum Diuinæ legis, ab vniuerſa poſteritate tanta ſeueritate repetat, tũ ſi proprij ſceleris quiſque tantum pœnas luit, neque vllus ad liberos ſupplicij & acerbitatis ſenſus accedit, cum in parentum peccata grauiter animaduertitur: quare ergo innocentes pueri cum Sodomitis periêre: quare multa millia inter ipſos *maternos* complexus, apud Aegyptios? multa etiam cùm Iudæorũ populus propter ſcelus Dauid, dira fuit peſte conſumptus? Si tanta eſt Diuinæ prouidẽtiæ in rebus humanis moderandis æquitas, vt neque filij pro parentibus, neque parentes pro filiis in ſupplicium vocentur: quę potuit eſſe illa iuſtitiæ ratio, quæ propter ſcelus principis Sennacherib, graui contumelia Deum afficientis,

tis, innumeras militum copias vna nocte proſtrauit? Illam itaque rationem prætermittamus, quæ de dura caſtigatione & ſupplicio totius poſteritatis Adam, priori fuit à nobis loco inducta, quæ multas ex ſe gignere difficultates potuiſſet, à noſtro inſtituto alienas. Neq; aliquis (vt ego arbitror) tam à communi ſenſu alienus erit, qui ſcelus illud primorum parentum cuius à nobis pœna repoſcitur, ſimile per omnia exiſtimet aliis peccatis, quibus mortales Diuinas nunc leges expugnamus: neque maiori cum pietate coniunctum, ac proinde nullo maiori ſupplicio luendum: præſertim ſi diligentius animaduertamus, quo ſtatu rerum, quibus muniti præſidiis, qua dignitate & honore, quàm blandis legibus adſtricti, quanto totius poſteritatis periculo ac pernicie primi parentes peccauerint. Sed ardua hæc quæſtio eſt & laborioſa, & quæ proprium poſtulet tempus & locum. Cæterùm quæ ex Ezechielis vaticiniis naſcitur quæſtio, multò minori à nobis difficultate expedietur, ſi ſummum iudicem rerum humanarum, non vna tantùm ratione aut conſilio ad vindictam & caſtigationẽ procedere intelligamus. Cor-

& graui ſupplicio animaduertit in homines innocentes, vt illos probet ac tentet, eorúmque probitatem, animi conſtãtiam, tolerantiam malorum, multorum oculis obiiciat contuendam & contemplandam. Iudicis etiam officio ac munere fungitur, cùm impietates hominum in pœnã atque ſupplicium vocat. Populus itaque Iſraëliticus, cùm aduerſus Deum expoſtularet, quòd parentum ſcelera in liberos ac vniuerſam poſteritatem redundarent, non ſatis intelligebant, variam atque diuerſam caſtigandi hanc rationẽ. Nam cùm eadem ſceleris & peccati vindicta, ſontes ſimul & inſontes corripit, eſt aliquid in ipſa *caſtigatione*, quod ſupplicium poſsit appellari, aliquid etiam quod remediũ potius quàm pœna. Eandẽ iam olim ſanctus Patriarcha Abraham cum viris Chananæis famem, & rerum ad tuendam vitam neceſſariam ſuſtinebat inopiã. Quæ tamen impiis hominibus pœna acerbiſsima pro admiſsis peccatis, ſanctiſsimo viro medicamentum ad fulciendam animi vitam eſſet. Laborant enim

enim interdum iuſti homines & innocentes, cum iis, qui pietati animo ſemper ſunt infenſo & inimico, ne fortaſſe optimo ac ſine vlla offenſione rerum procurſu, animo efferãtur. Neque verò ſi iuſtum hominem & innocentem cum Sodomitis aut Aegyptiis ſuſtuliſſet, ſceleris eſſet Diuina prouidentia inſimulanda. Nã ſi à iuſto homine vitã, ac ipſius vitæ vſuras omni poſſit loco ac tempore iure repetere, videre non poſſum, neque ſatis mente percipere, quare cum impiis Sodomitis, & Aegyptiorum gente ſuperſtitionis plena, iuſtum hominem interimere non potuerit, ſi quempiam, vt diximus, innocentem omnino atque omni culpa & crimine vacuum, apud illos inueniſſe fingamus, quod minimè credendum ſit. Eſſet vtique mors & interitus, pœna, perditis hominibus ac ſceleratis, ac ſummam iudicis poteſtatem in illos declaraſſet Deus. Homini verò innocenti, vitæ finis poſtremus, quemadmodum non eſſet in pœnam deputandus, ita etiam neq; cum Deo iure expoſtulare potuiſſet, quòd illi vitam eripuerit, quam poterat proculdubiò, vel febre ardentiſsima, vel acerbo aliquo morbo, & mordaci ægritudine ſolue-

re, citra iniuſtitiæ notam aliquam. Aegyptiorum ac Sodomitarum infantes, cum parentibus ſuſtulit, id quod antiquiori illo ſeculo, exundantibus aquis, factum etiam legimus. Sed ſi à pueris & infantibus communem interitum & mortem amouiſſet, non dubitē, quin maiorū veſtigia ſequuti, in grauiores tādem incidiſſent pœnas. Itaque cū à pueris, quibus adhuc per ætatem peccare non licet, vitam repetit, ſi vt baptiſmate apud Chriſtianos inauguratos, ita olim per circūciſionem ac veterem religionē admiſſos enecat, leuiſsimo vtique cruciatu, ad meliorem vitam transfert, omni ſenſu acerbitatis vacantē. Quare neque vllam iniuriæ partem, innocentibus illatam video. Imo neque ſi in ſupplicium & pœnam veteris delicti à parentibus primis contracti, mortem inferret innocenti puero, nunquam ſatis intelligere poſſum, quam ſubeat Diuina prouidentia ſceleris aut iniuſtitiæ notam. Nunquam parentes mediusfidius, filiorum impietates, aut liberi parentū flagitia, ex ſummi iudicis ſententia ſuſtinent, ita vt ſontibus & inſontibus, eadem caſtigatio in pœnā deputetur. Sed impiis parentibus ſupplicium erit, vel

propr

proprius interitus vel afflictio, vel liberorum mors intempeſtiua & inopinata: filiis verò (vt diximus) aut in remedium maioris incommodi vitandi, aut ſi in pœnam illis deputetur prioris delicti & noxæ, qua omnes in Adamo peccauimus, ipſi etiã impietatis pœnas ſuſtinebunt. Quæ de parentibus ac liberis diximus, de Sodomitis atque Aegyptiorum gente, dicẽda etiam de exercitu Sennacherib, & Iudæorum populo, grauiſsima peſte ac lue conſumptis arbitror. Præter illa quæ ſunt à nobis in ſuperioribus obſeruata, ſcio Diuum Hieronymum diu ac multum detorſiſſe quæſtionem iſtam, de Diuinæ prouidentiæ æquitate. Nam magnam animo ſanctiſsimi viri excitabat offenſionem, quod idem iudex & pater indulgentiſsimus, nunc in tertiam & quartam generationem parentum ſcelera caſtigaret acriter, qui per prophetam Ezechielem, apud Iudæos ſuam innocentiam & æquitatem aſſerens, neque filios parentum impietates, ne parentes ipſos filiorum peccata ſuſtinere diceret. Atque ita tandem quæſtionem explicat, vt Diuinæ iuſtitiæ ſeueritatem in filios perditorum ac profligatorum hominum deſæuire exi-

ſtimet, cùm maiorum ſcelera & flagitia imitari ſtudent. Eſt profectò hæc Hieronymi ſententia, & de Diuina prouidentia iudicium, ad explicandum Ezechielis cap. 13. appoſitiſsimum. Nam tota illius capitis grauis & acerba increpatio, populi Iſraëlitici, in eum vtique finem expectat, ſi à nobis diligenter excutiatur, vt illum imitatorem & æmulum paternæ impietatis, ſignificaret. Neque opus eſſe parentum peccata in pœnam filiorũ depoſcere, vt ſummam in illos ſeueritatem Deus declararet. Cõmemorat enim grauiſsima ſcelera, quibus totus ille populus eſſet infectus. Vt in montibus comedere, quod horrendũ idololatrię flagitiũ ſignificabat, adulteria, ſtupra, & reliquas profundas libidines Iſraëlitarũ animos deuorãtes, expilationes pauperũ & oppreſsiones, Diuinæ legis neglectum, cæteráq; id genus, quæ legẽti Ezech. vaticinia paſsim occurrent. Itaq; ſummus ille Deus, cùm per prophetam inquit, Anima quæ peccauerit, ipſa morietur, &c. ſiniſtram illius populi de ſe ſuſpicionẽ amouere curabat, ne fortaſſe ſtultus ille populus in tam graui ſcelere conſeneſceret, & pernicioſa illa iudicij deprauatione, mortẽ

& ſemp

& ſempiternum interitũ illum impelleret. Ob eámque rem in memoriam reuocat, non tantùm ſcelera & impietates parentũ, quorum exẽplo filij peccabãt: ſed & filiorũ flagitia grauiter exagitet, vt agnito etiam proprio peccandi ſtudio, diligẽter curarẽt linguas in poſterum retinere & impias aduerſum Diuina conſilia cohibere voces. Hûc fortaſſe referenda ſit tota Hieronymi ſententia, quæ ad explicanda Ezechielis oracula, magnum (vt ego iudico) pondus habet, atque pro re pręſenti à ſapienti animo & prudenti fuit excogitata. Quòd ſi quiſpiam Hieronymi de hac re iudicium, ad vniuerſa pœnarũ genera reuocare cõcẽdat, & ſingulis velit ſanctarũ ſcripturarũ locis accõmodare, quæ de ſuppliciis in homines ſontes & inſontes effuſa leguntur, mirum eſt in quas anguſtias & angulos difficultatũ ſeipſum atque Hieron. coniiciat.

Hæc dicit Dominus, ſi perfecti fuerint, & ita plures, ſic quoque attondẽtur & pertranſibũt.

FRequens eſt in ſcripturis Diuinis tondendi ac radendi metaphora. Eſa. 7. c. inquit, In diebus illis radet Dominus nouacula cõducta, caput & pilos pedũ, & vniuerſam barbam, in Rege Aſſyriorum, & in

iis, qui ſunt trans flumen, &c. Vaticinium
eſt grauiſsimi excidij, ac miſerandæ cladis,
qua Iudæorum regnum Chaldæorum armis fuit funditus ſublatum, & à braſipili.
à capite vſq; ad pedes, &c. non tantùm munitiſsimas vrbes & ciuitates diripiẽdas, atque agros depopulandos, verumetiã quicquid in illis pulchrum eſſet ac virile, Regni Aſſyriorũ nouacula (gladio videlicet & enſe) fore conficiendum ſignificant. Eleganter verò ſiue Regẽ Aſſyriorũ, ſiue delectam illius militũ manum, & ingẽtes bellatorum copias, nouaculã appellat conductam. Nam tametſi impiorũ hominũ obſequio, ac perditorum ad caſtigãdos electos, Diuina prouidẽtia freqũter vtatur, nõ eſt quòd impij inde inſoleſcãt, & ampliores cõcipiant animos. Sunt enim aut inſtar cõductæ nouaculæ, aut fuſtis, quæ electis hominibus ad cõmutandã in melius vitæ rationẽ, ſemel impacta illicò è manibus pellitur, neq; illius amplius vlla cura aut ratio habetur. Quẽadmodũ enim pater, vt chariſsimũ filiũ à ſcelere & peccandi licẽtia reuocet, & in officio retineat, aut flagello, aut fuſte cohibet; quæ tamẽ poſt caſtigationẽ ipſam inutilia cẽſet, & ignibus interdũ cõmittit, paterna ira & indignatione in filiũ de-

feruefcẽte:nõ ſecus magnus ille Deus nefa
riorũ improbitate,filios quos habet chariſ
ſimos,tanquã cõducta nouacula tondere,
aut tãquã fuſte cohibere &corripere ſolet,
hoc eſt,ſolet illos tẽtare & examinare, ſpe
ctãs an ad virtutẽ faciãt regreſſum. Quæ ta
mẽ vltionis & indignati animi inſtrumẽta,
aut ignibus abſumẽda tradit, aut ſua cura
& proſpectione indigna iudicat,quẽadmo
dũ ſolemus res conductas poſt neceſſarios
vſus. Sed vt ad explicãdũ oraculũ Nahum
noſtra ſe iã cõuertat oratio,Iudęorũ popu
lũ Dei ſpiritus cõſolatur vehemẽter, meta
phora elegãtiſsima à tõſorib. ſumpta. Gra-
uiſsimã itaq; formidinẽ Iudæis iucuſſã, cũ
Aſſyriorũ copias innumerabiles,&electam
iuuẽtutẽ &bellicos apparatus,&obſidionẽ
in longiſsimũ tẽpus trahi viderẽt,nemo ſit
ꝗ dubitet. Omnes ergo timoris cauſas,Iu-
dæis animo cõſternatis hoc oraculo eripit
ꝓpheta. Hoc vos exanimare fortaſſe pote-
rit,ꝙ Aſſyrios perfectos, hoc eſt gnaros rei
bellicæ,fortes,potẽtes, robuſtos eſſe vide-
tis,aptos deniq; ad ferẽdos bellicos labores
ꝗ multi sũt. Atq; illud etiã nõ minus ſpẽ ſa-
lutis vobis eripit, ꝙ tãta ſunt multitudine,
vt vix dinumerari queãt. Sed hęc dicit dñs

pior

piorum protector, cui ſalus veſtra, vita, libertas, curæ ſunt. Sint perfecti veſtri hoſtes, & ad rem bellicam tractandam idonei: ſint plures, id eſt, innumerabiles, attondentur tamen omnes & pertrãſibunt. Sunt enim vaſa quædam Diuinæ indignationis in interitum apta, in quæ Deus ſolet declarare exempla iuſtitiæ ſuæ, quæ quò potentiora ſolidioráque apparent, eò magis perditioni ſunt proxima. Vt enim in vaſa miſericordiæ, quæ ad vitam & fœlicitatem effinxit, tunc maximè ſuam commendat bonitatem, cùm in poſtremam miſeriam & calamitatem ita deuenere, vt de illorum rebus actum videatur, neque magis illius erga bonos viros prouidentia, ſe conſpiciendam præbet, quàm cùm in poſtremum periculum vocantur: ita etiam & ſui ſeueritatem imperij in nefarios homines, tum maximè cùm florere per omnia videntur, explicare ſolet. Iuſtos de ſtercore erigere, & de puluere excitare cõſueuit (vt eſt Diuinis proditum oraculis) id eſt, cùm omnibus premuntur ærumnis atque miſeriis, & opem ferre, & ad culmen fœlicitatis extollere. Perditos verò homines, qui ſuo & aliorum iudicio perfecti videntur (vt propheta

pheta inquit)& altiſsimis fortunæ optimæ ſubnixi radicibus, adeò vt extra aleam, & periculum omne poſiti videantur, ſubitò diuellere & extirpare funditùs ſolet. R. propheta Dauid pulcherrima quidē imagine, & ad rem appoſitiſsima, eorum quos vaſa iræ ſcriptura appellat, perditionem, & poſtremum excidium eleganter expreſſit. Pſal. Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros libani. trāſiui, & ecce non erat, quæſiui & non eſt inuentus locus eius. Impij (inquit) & qui in mundo æterna quædam fœlicitate fruituri videntur: quos propheta Nahum appellat, perfectos, inſtar annoſæ arboris, quæ latiſſimis ramis ſe præbet viſendam, & actis in altum radicibus, videtur immobilis, cuius ſubito non tantum frondes, ſed & rami & ſtirpes, & radices funditus diſsipantur: ſubitò euaneſcunt, & omnes illorum ſpes, alacritates, perfugia celeriter dilabuntur, ſtudia & conatus omnes, ita intercipiuntur, vt nullum poſt ſe veſtigium relinquāt. Sunt enim iſtiuſmodi homines inſtrumenta quædam, ad declarandam Diuinæ mentis indignationem, excogitata & inuenta. Habet illud gratiam venuſtatis, quod R. Dauid

Dauid Kimhi: ſapienter ſatis circa huius loci explicationem adduxit שְׁלֵמִים (inquit)non ſolum fortes & potentes ſignificat,ſed & eos etiam qui ſumma rerum pace,& ocio,& compoſitione fruuntur. Atque hoc genus appellationis Aſſyriis tribuit propheta eleganti, me hercle, Paranomaſia. Eſt enim יְרוּשָׁלַם viſio pacis, quę quoniam ab impiis tenebatur obſeſſa, qui rebus omnibus pacatis vterentur, & ciuitati ſanctæ bellum inferrent, & eam niterentur pacem turbare, quam nomen Hieruſalē præ ſe ferre videretur. שְׁלֵמִים illos appellat,id eſt,quietos & pacatos, nec ſine tropo. Nulla illis pax erit ô ciuitas ſancta,qui(quam tibi nomen Hieruſalem pacem pollicetur)rumpere & cōfundere ſtudēt:quin potiùs qui שְׁלֵמִים ſibi videntur incredibiles rerū difficultates,& inſuperabiles incurrent. Nouacula indignationis meæ,pilorum inſtar,illos detondebit,proſternet, & exanimabit: & qui tibi pacem eripere contendunt, ſubito & inopinato bello intercepti,poſtrema clade &excidio afficientur.Neq; verò illorum ſentētia reiicienda prorſum mihi videtur, qui detondēdi verbum,ad infirmitatem & imbecillitatem

litatem Aſſyriorum referendum exiſtimant, poſtquàm ingentem illam, Diuini imperij ſęueritas, noua ſe declarauit vltione. Nam quoniam pili & hirſutum corpus, ingenium bellicis rebus aptum & virile declarant, deraſi pili, animum profectò timidum, debilem, eneruatum, parum firmamenti, atque virium habentem, ac muliebrem denique ſignificabit. Cùm primò enim cœpit Diuinæ mẽtis indignatio, in populum illum deſæuire, imbecillus ac mollis effectus, rerum incidẽtium difficultatem, & calamitatum pondus ferre non potuit: non magis quàm mollis fœmina, quæ propter animi imbecillitatẽ, omnem aduerſæ fortunæ impetum reformidat, & expaueſcit. Talis deniq; Aſſyriorum gens, poſt deraſos pilos nouacula Diuinæ vltionis, relicta eſt, vt penſa potiùs digitis trahere, quàm vibrare gladium poſſet, fœminis quàm viris ſimilior. Diſcat pius animus hoc loco nihil eſſe in nobis tam amplum, tam magnificum, nihil tam forte aut robuſtum, quod vitam tueri poſsit humanam, aut aliquid adiumenti nobis ſuggerere, aut aliquid afferre leuamenti: inter pericula & acerbitates, niſi Deus Opt. M.

ro neminem eſſe, tam fragilem, tam infi-
mum, cui ſi Numen opituletur, non poſsit
iniquam omnem fortunam vincere, & il-
lius tela ſumma facilitate depellere. Exē-
plo nobis ſint (neque enim hius rei argu-
menta longiùs petenda ſunt) Iudæorū gēs,
longa obſidione fracta, & hoſtium poten-
tia, ac robore exanimata prorſum: quæ
nullis iam humanis præſidiis, aut inimicū
repellere, aut ſe tueri poſſet: & Aſſyriorū
exercitus, cui omnia ſuppeterent, quæ vel
ad fugandos Iudæos, vel capiendam vrbē
neceſſaria viderentur. Vtrorunque tamen
res tales habuêre exitus, vt & Iudæi & Aſ-
ſyrij cognouerint, eum qui Numen habet
propitium nihil non habere. Contrà qui
Deum infenſum habet, omnia habere in-
fenſa, & inimica; grauitérq; ſuſpecta. Poſ-
ſit etiam hic locus in alium ſenſum trahi,
vt propheta Nahum, perditam vitam, &
corruptos mores Niniuitarum ſignificans
tonſionis memoriam intulerit. Nam auto
re Hieronymo ſuper Ezechielem comam
nutrire indicium ſit vitæ luxu diffluentis,
more ſanctarum ſcripturarū. Quo loquē-
di tropo fortaſſe Regius propheta Dauid
aiebat

aiebat, Confringet Deus capita inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantiũ in delictis ſuis. Quo loco verticem capilli commemorat, ad declaranda hoſtium ſtudia, totámque viuendi rationem, quæ certam ſummi Dei vltionem, & animum ira inflammatum in ſe prouocauiſſet. Vt enim horridus capillus conſtantis animi interdum argumẽtum eſt, ſic etiam & comptum capillitium, & madentes cincinnorum fimbriæ cõpoſitæ & delibutæ, diſſolutum animum, negligentem, ac remiſſum ſignificãt. Grauiter proinde in homines bene capillatos, id eſt, impios & nefarios, æquiſsimum iudicem animaduerſurum vaticinatur propheta Dauid. Ob eámque rem, capillis delicta & impietates probè connexuit, dicens, Verticem capilli perambulantium in delictis ſuis. Poſsis vtique citra periculum elegantem metaphoram acerbitati, luctui, & mœſtitiæ accommodare, quæ poſt diram ſtragẽ totius exercitus Regni, & ciuitatis ampliſsimæ excidium inter Aſſyrios excitatum credere par ſit. Sanctus Iob poſt infœlicia & inauſpicata nuntia, quibus & fortunas ſibi ereptas, & diſsipatũ intellexit ampliſsimum
P

patrimonium, cum filiorum miſerabilem interitum,& improuiſum audiret,ſua ſede excitatus, magnã doloris ſignificationem dedit,detonſo capite, veſtibus dilaceratis, & toto corpore humi proſtrato. Legimus etiã apud gentes inter cæteras ſpecies tonſionis,de quibus in præſenti diſſerere ſuperuacaneũ ducimus, illã fuiſſe vſitatiſsimam,quam πενθητηρικὴν appellabant, id eſt, luctuoſam. Nam cùm per totam ætatem comam nutrirent, incidenti graui aliquo animi dolore & acerbitate, comam in argumentum ſummi mœroris detondebant. Itaque de graui & miſerabili luctu Aſſyriorum propheta vaticinatur, metaphora fortaſſe ſumpta à veteri gentium conſuetudine. Herodotus enim in Euterpe, ſcribit,& Plinius in eadem ſententia eſt,ſacerdotes Aegyptios olim deraſis capitibus cõſueuiſſe in luctu eſſe &mœrore ex morte Apidis,qui ab illis pro numine colebatur. Neque verò me fugit tondendi verbo,ſi ad capillos referatur, multitudinem & frequentiam bellatorum, qui ſanctam vrbem obſeſſam tenebant, ſignificare poſſe. Neque enim eſt literis ſacris inſolens, ad exprimendam rei cuiuſpiã copiam in-

excog

excogitabilem, capillos commemorare. Qua proprietate loquendi Regius propheta Pſal.69.per hiperbolem dixit,Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Hiſpanè de homine diuite & opulento, Tiene mas dineros que pelos en la cabeça. Atque in eam fortaſſe rem verbum propheticũ, plures, ſpectare mihi videtur,Si fuerint plures,attondentur tamen & pertranſibunt. Verbum tranſeundi, quanuis à Rabi Dauid Kimhi ad virtutẽ Aſſyriorum & bellicam gloriam, & robur exercitus extinguẽdum referatur: mihi tamen verò videtur ſimilius, vt iuxta morem loquendi ſanctarum ſcripturarum,tranſire idem ſit,quod in alterius poteſtatem venire,& alterius obſequio mancipari. Eſt enim trãſire, Hebræis verbum forenſe, quo ſignificatur cõditionem mutari,& ſeruum fieri.Geneſ.47.de rebus Aegyptiacis,& ſancti Ioſeph ſtudio, circa Regis peculium augendum dicitur, Populum ipſe tranſire fecit, ad ciuitatem de termino ad terminum. Non ſolùm tellus ipſa facta eſt Pharaonis, ſed & populũ oppidatim in ius Pharaonis tranſire fecit. Exod.13. legimus primogenita Diuino

præcepto Domino conſecranda, & e-mancipanda, quo loco verbo tranſeundi vtitur ſcriptura, וְהַעֲבַרְתָּ tranſire facies. Hieremi.15. Tranſire te faciam in gentem, id eſt, ſeruies aliis gentibus, qui anteà liber fueris. Erit proinde tranſire, idem quod, apud Conſtantinum Imperatorem, capite diminui. Capitis verò diminutio, illa eſt atrocior multò, quę aut beſtiis, aut igni ex ſententia iudicis quempiam obiicit, aut ciuitate expoliat, aut libertatem eripit. Quę omnia in Aſſyrios recidiſſe quodammodo vetuſtiſsimis rerum geſtarum monimentis proditũ eſt. Hûc fortaſſe ſpectat, quod de tonſione dicitur. Nam, vt Beda autor eſt in eccleſiaſtica Anglorum hiſtoria, tondere caput ideò ab eccleſia admiſſum eſt, vt quod antiquitus probro dabatur & ignominiæ apud gentes, hoc honori decoróque haberetur. Petrus Apoſtolorũ princeps, initio ſurgentis fidei, cùm Antiochiæ prędicaret, caput illi ab improbis abraſum fuit, vt cunctis ludibrio impendiò foret. Vnde Pampinius Lætus de triũpho Diocletiani inquit, Conſuetudinis fuit liberatos captiuitate, currum triumphãtis ſequi abraſo capite, in argumentum præceden-

tis

tis conditionis, poſtremæ ſcilicet ſeruitutis. Vt ergo obedientiam Aſſyriorum, & diram ſeruitutem, arbitrio carentem ſuo, in quam eſſent tradendi, omni dedecore ac turpitudine plenam propheta ſignificaret, & tonſionis meminit, & trãſeundi verbo vtitur, quibus in libertate educatis, eleganter durum famulatus iugum & fortunam, & infimam conditionem vaticinatur. Neque fuerit ab vſitato ſanctarum ſcriptu rarum loquẽdi more alienum, tranſeundi verbum Deo Opt. Max. accõmodare iuxta naturam caſus adiuncti. Nam tranſire Dei, perinde eſt, ac ſi dicas, potentiam & maieſtatẽ ſuam declarare, & ſeueritatem imperij manifeſtare hominibus. Vt tranſiuit Dominus per Aegyptum primogenita occidendo: quemadmodum tranſiit aliquando ſuper faciem Moiſi aliqua ſui cognitione illuſtrãdo. Sic Oſee 10. Ego trãſij ſuper bonum collum eius, hoc eſt, iugum induxi collo. Itaque verbum עָבַר ſummam Dei Optimi Maximi potentiam, & ſeueritatem in gentem Aſſyriorum ſe declarantem ſignificabit.

Afflixi te, & non affligam amplius, & nunc conteram virgam eius de dorſo tuo, & vincula tua diſrumpam.

QVam in ſuperioribus cõſolationem pollicebatur, dicens, Non conſurget duplex tribulatio, nunc repetit & confirmat. Afflixi (inquit) te hactenus, & longa obſidione vexaui: ſed non affligam amplius, neque impiorum hominum improbitas vltra progredietur. Nam eo conſilio Aſſyriorum armis & bellico apparatu te perterrui, vt vitam anteactã relinquẽs, ad virtutem & pietatis cultum regredereris. Video iam totam viuendi rationem in melius commutatam, neque me fugit tui animi cruciatus, & mœror poſtremus, propter admiſſa ſcelera aſſumptus, lacrymas, & ſingultus, ſuſpiria, & eiulatus diligenter animaduerto: quæ omnia manum meam à duriore caſtigatione cohibent, & neceſſariam tibi conſolationem & leuamentum extorquent. Optimum ſanè conſolationis genus, quod & præſentes acerbitates extenuat, minimè diuturnas fore declarando, & magnas ſpes pollicetur, venturæ fœlicitatis gentis Iudęorum. Neque verò mirari debeat quiſpiã, ſi ad rẽ probandam & ſuadend

dendam, nullis hoc loco coniecturis Deus Opt. Max. vtatur, nullóque argumentorum delectu ad conciliandam fidem: tanta eſt enim dicendi autoritas, vt ſolo verbo in ſuam ſententiam auditorum animos flectere poſsit. Atque hæc potiſsimum cauſa (vt arbitror) eſt propter quam tota Diuina ſcriptura Verbū appellatur. De qua re, quoniam copioſius multò alio in loco diſſeruimus, diutius de ea re dicēdum non erit. Scio interdum ſigna quædam & coniecturas ad rem probādam à ſummo Deo adductas, & ad faciendam fidem promiſſorum, vt Eſa. 44. legimus. Sed id donandum eſt hominum ruditati, & infantiæ aliquando, & iuxta illorum captum, tota loquendi ratio moderanda eſt. Penetrat Diuinæ mentis acies ad intimos vſque noſtrorum animorum receſſus, ſcit bene quid cuique hominum opus ſit, quando argumenta & rationes magnæ efficacitatis ſint adhibendæ, neq; dedignatur humanæ mētis ignorationi conſulere, & ad illud probationis genus deſcēdere, quod inter mortales pondus aliquod habere videtur. Cùm ergo nullis ſignis hoc loco aut coniecturis, rem firmari vides, illud animaduertas oportet,

Deum Opt. M. probè tenuiſſe animi propenſionem gentis Iſraëliticæ, ac totius populi Iudæorum. Ob eámque rem, propria tantùm autoritate nititur, quæ ad rem aliquam firmandam, tametſi difficillimam, principem ſemper locum apud nos obtinere debeat. Extenuat proinde propheta Nahum præſens periculum, & afflictionis incommodum, magnarum rerum pollicitatione, & in ſpem meliorem populum Iudæorum animo conſternatum erigit, dicens, Afflixi te, &c. Verba ſunt pietatis paternæ, & conſolationis plena, quæ ſatis ſignificare videtur, quo animo, quóue conſilio Diuinæ mentis indignatio in electos ſibi chariſsimos, duriori caſtigatione animaduertat: Nunquam pœnas infert vt vindictam exerceat, ſed vt carnis impetus retundat, & ab ſtudio peccandi reuocet, & vt eas denique vtilitates piæ mentes ipſa caſtigatione conſequantur, quæ tuendæ ſpiritali vitæ, & ſuſtentādæ, neceſſariæ vehementer ſunt. Premit interdum grauiori afflictione, ab improbis hominibus illata, ne fortaſſe cum illis conſuetudine aliqua, electi, & chariſsimi ſibi coaleſcant. Quemadmodum vetuſtiſsimis ſanctarum literarum

rum monimentis comprehenſum eſt. Magna iam olim pericula ab impiis Chananæis in Iſraëliticũ populum excitata, quæ partim ab ſtudio lædendi, quo perditi homines tenerentur, partim à Diuino conſilio & prouidentia profecta, credere non fuerit rationi diſſentaneum. Hæc enim ab antiquis temporibus Diuinæ mentis prouiſio fuit, magna cura ac diligentia ſuſcepta, vt homines, quibus pietas atque religio eſſet curæ, multis ab ſceleratis ac perditis afficerentur incommodis, vt ingenti ſtudio eorum conſuetudinem & familiaritatem fugerent, quos ſemper infectos, & inimicos experirentur. Sic enim veteri & nouo teſtamento ſanctis ac piis mentibus nihil vnquam dulce, tractabile conceſſum in hoc mundo legimus, vt ipſa incidẽtium malorum acerbitate admoniti, nullo amore aut charitate complectantur ea, à quibus aduerſa tantùm ac penitus refugienda conſequerentnr. Eo conſilio gentem Hebræorum olim Aegyptiorum improbitati & petulantiæ permiſit, ac deinde in terram promiſsionis inductam, Chananæorum & aliarum finitimarum gentium, ſcelere & impietate vexabat. Nec ſecus

Aſſyriorum armis in præſentia ad mentem reuocat, & obſidione frangit, vt diſcat illorum vſus, mores, inſtituta, ſemper eſſe auerſanda, qui bonis inſenſo ſemper ſunt animo & inimico. Sed tamen quoniam non ita vt mali ſperant futurum eſt, vt magno aliquo vulnere bonis & optimis viris impoſito, alacris exultet improbitas in victoria. Propheta Nahum populum Dei vehementer conſolatur, paucis verbis Diuina explicans conſilia. Afflixi te, & non affligam amplius, & cæt. Corripit interdum ſummus ille Deus, piorum protector, & graui afflictione examinare ſolet ſanctorum virtutem & probitatem, quò virtus ipſa & conſtantia inſtar ſaxi obdureſcat, & neceſſarias vires & robur colligat, ne fortaſſe leuiori quocunque iniquæ fortunæ impetu frangatur. Vt enim pinguia & ſaginata corpora non tantùm dolore & ægritudine ac vulnere quocunque leuiori, ſed & ſuo pondere deficere videmus, contrà, quæ ſunt laboribus aſſueta, vt militum & agricolarum, omnem acerbitatem, ictum & impoſitam plagam patienter ferre, ad eundem per omnia modum,

virtus

virtus illa, quam ſemper mundi huius, & impiorum fauor pronus ſequitur, neque neceſſarias colligat vires, ad depellenda fortunæ tela excelſo animo, neque ſemel inflictum vulnus ea animi elatione ferat, qua opus eſt, imò & ſua mole & pondere deficere aliquando neceſſarium ſit. Et nunc (inquit) conteram virgam eius de collo tuo, & vincula tua diſrumpam. Frequens eſt in arcanis literis virgæ appellatio. Nunc pro poteſtate ſumma, qua ducuntur captiui homines, atque cæduntur. Eſaiæ nono, Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madiam. Sumitur interdum pro imperio, vt apud Michæam ſeptimo capite, Paſce populum tuum in virga tua. Cùm verò ſceptrum eſt virga, ſymbolum iuſtitiæ creditur, vt ſit idem quod flagrum, ſiue flagellum. Qua etiam loquendi proprietate vtitur Regius propheta Dauid, cùm Pſalmo quadrageſimoquarto verbum Dei, & ſacroſanctum IESV Chriſti Euangelium, virgam directionis appellat, Virga directionis, virga regni tui. Regnum IESV Chriſti, ſiue illius verbum,

tum

tum in his, quæ ad doctrinam, & viuendi inſtituta, tum in his, quæ ad graues impiorum reprehēſiones pertinent, non erit obliquum, neque à ſumma æquitate, & iuſtitiæ ratione declinabit. De eodē imperio apud eundem prophetam Pſal. 110. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. Mente prophetica intuebatur Regius vates, Chriſtum inter hoſtes ſummam poteſtatem exercentem ac ſtatuentem de illis pro arbitrio. Vinctus erat Paulus & Romæ, & à Cæſare, penes quē totius orbis erat imperium, ſed verbum Dei & Chriſti virga, ſoluta erant ac libera, adeò vt ad extremū vſque ſpiritum Chriſtum in carcere prædicaret, & cunctis hoſtibus, etiam potentiſſimis ſuperior, nihil illis præter animi ſalutem optaret. Hanc virtutis virgam Paulus ad Rom. 1. cap. virtutem etiam appellat. Non ego (inquit) erubeſco Euangeliū: virtus enim Dei eſt omni credenti. Cœleſtis enim illa denuntiatio nobis egregiè declarat, quanta ſit Dei potētia, quæ hominem potuit erigere collapſum, & perditum reparare. Hæc virga virtutis Diuinam bonitatem, non minus declarat, quæ in re-

dempt

demptionis opere, ſingulari ratione proſpicitur. Contererе proinde virgam Aſſyriorum, de Iſraelis dorſo, iuxta veterē loquendi conſuetudinem gentis Hebrææ, idem eſt ac ſi dicas, Imperium & graue periculum amouere à capitibus Iudæorum. Nullos iam exactores Regis Aſſur, inter Hebræos fore qui illorum bona diriperēt, qui fortunis expoliarēt, qui populum denique iniquis onerarent exactionibus. Eadem penè ſignificauit cùm diceret, Et vincula tua diſrumpā. Meminit Regius propheta Pſal.1. vinculorum, cùm impios Philiſthæos ſe inuicem cohortantes inducit ad opprimendum Iſraëlem, & vt regnum Dauidis, quantū poſsint, extinguant. Quę, typo quodam, graues aduerſus Chriſti Regnum impiorum hominum tumultus, adumbrabant. Diſrumpamus à nobis vincula eorum, proiiciamus à nobis iugum ipſorum. Vincula, vel funes, vel ligamina, Iſraelitarum imperium ſignificant, quod imminere ſibi Philiſthæi videbant, Regno Dauidis tam fœliciter creſcente. Significant exactiones & tributa, quibus ſe onerandos & premendos arbitrarentur, qui Iſraelitas tributarios habuiſſent, & ſui imperij

perium, per translationem. Hieremi. 2. commemorat Deus ſe Iſraelis iugum fregiſſe, & diſrupiſſe vincula: intelligens ſeruitutem quam inter gentes fuiſſet perpeſſa. Et 5. cap. expoſtulat cum populo, quòd is ſuum iugum fregiſſet, & rupiſſet vincula: hoc eſt, leges & mandata contempſiſſet. Pulcherrima ſanè figura & imagine prophe. Regius voces illas impiorum hominum, ſe mutuo cohortantium, adumbrauit, qui contra Chriſti Regnum & imperium ampliſsimum, contra leges & inſtituta, contra ſalutis verbum, dicere nũquam ceſſant, Nolumus hunc regnare ſuper nos. Neque enim ſuſtinere poteſt hic mundus, vt Chriſti vinculis alligetur, & iugum ferat. Nam quî ferat faſtus, imperium modeſtię? auaritia, iuſſa paupertatis? luxus, faſces crucis? ambitio, ſceptrum contumeliæ? effrenis licentia, frenum continentiæ? Nunquã defuit Philiſthinorum hoc genus, qui omnia tentent & experiãtur, vt profligata illorum peccãdi licẽtia, & execranda vitæ impuritas, vel vlla ex parte circũcidi haud

patian

patiantur. Vinculorum itaque appellatione, quemadmodum & virgæ dorſo adhibitæ, imaginem Tyrannidis, noſtris oculis contemplandã & colluſtrandã proponit. Vt virga ſit imperiũ intolerabile, & ſæueritas incredibilis, nulla lenitatis & manſuetudinis parte temperata: vincula verò iniquæ leges, Tyranni vtilitatibus ſeruiẽtes, quæ ciues omnes inferiores maximè, in Repub. alligent, & conſtringant. Notũ eſt illud Anarchaſidis Athenienſium leges telis aranearum eſſe ſimiles, in quibus infirmiora animalia hærerent, & tanquã vinculis detinerentur, valentiora verò prærũperent. Cõſtringunt enim, vt in plurimũ, Tyrannorũ leges homines tenues, atq; humiles: quæ tamẽ ab illis cæteríſq; potentioribus impunè violentur. In eum itaq; finem ſtudia & conſilia omnia (eius qui per ſummam impietatẽ, ciuitatẽ liberã crudeliter opprimit) ſpectant, vt vel impacta fuſte ciuium corpora dilacerare, aut vinculis legũ iniectis, fortunas diripere, & ſuppilare amplißima patrimonia poſsit. Ob eam rẽ bonis & optimis viris infenſo ſemper animo ſunt & inimico, neq; virtutẽ magis quã vitiũ, illorũ virga & ſceptrũ reueretur. Imò

ſi re

ſi rectè rem expendamus, in ſapientes homines,& eos quibus pietas & religio curæ eſt,morte aut exilio animaduertũt, iuxta crudele & nefarium Periandri ac Traſibûli conſilium, cùm eminentiores ſpicas decuteret. Et quoniam ſubditorum potentiã grauiter expaueſcunt, & reipublicæ vires reformidant (ſolent enim opes & diuitiæ ad res peragendas animos addere) leges condunt, quibus tanquam vinculis miſer populus conſtrictus,& fortunas ſenſim amittant,& omnia in poteſtatem Tyranni cedant paulatim: lanam ſimul & pellem ouibus detrahentes,atque aureç illius ſententiæ Tyberij Cæſaris prorſum immemores, Boni eſſe paſtoris tondere pecus non deglubere. Memini me aliquando legiſſe, Romam ex Aegypto allatam imaginem,quam ſemper Aegyptiorum Reges, in conclaui & interiori domus receſſu haberent,qui Tyrannidi inter Reges omnes, qui ad noſtram vnquam memoriam peruenêre, diligentiam omnem ſtudiúmque impenderent: vt ad eam imaginem totam exigerent vitæ rationem. Erat pictura pulcherrima,quæ fœminæ figuram præ ſe ferebat, quæ corona aurea redimita, ſupra
exedram

exedram regio apparatu ornata ſedebat. Stabant hincinde quatuor quaſi ancillulæ, grato & honeſto vultu, qui ipſo corporis habitu ſatis indicabant quatuor eſſe virtutes.prudentiam, iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem. Ergo quæ ſupra exedram fœmina ſedebat, magnifico apparatu, voluptas erat, quæ princeps ſemper eſt & regina in adminiſtratione tyrãnica.Spectant enim tyranni conſilia omnia & ſtudia in voluptatem, tanquam in finẽ præcipuum. Cúmque opus aliquod aggrediũtur,quod ſpeciem habeat virtutis, nunquam huius amore incitantur:quin potius in voluptatis ſtudium, ſuos omnes conatus & mentis cogitatus conferunt. Prudentes interdum apparent, ſed tota illorum prudentia, ad amplificandas ſummas voluptates, & vitæ oblectamenta pertinet. Hûc ſpectat tanta in congerendis opibus ſolertia,&expilandis ciuibus induſtria.Iuſtitię pręterea,quæ adminiſtratione Reipu.principem ſemper locum tenere debeat, cultores videri volunt, ſed cùm fuſtes ac flagra, aut virgam (vt inquit propheta) ciuium dorſo impingunt,non eo animo atque conſilio id efficiunt,vt aut iniuriam à cęteris propulſent,

aut innocentiam tueantur, aut omnis ra-tio æquitatis inter ciues conſtet: ſed vt cru-delis animi inſatiabilem ſitim expleant, & magnas ſibi voluptates in inferendis pœ-nis, & irrogandis ſuppliciis parare poſsint. Fortitudinem ex animo colere videntur, cùm omnium longè timidiſsimi ſint: non vt nefariorum hominum colluuiem, & vi-tiorum ſentinam è Repub. egerant, & im-proborum libidini ac petulantiæ ſe oppo-nant: ſed vt ex contumelia & iniuria, qui-bus impunè bonos & optimos ciues affi-ciunt, plurimum voluptatis poſsint perci-pere. Temperantiæ nomen vix audire il-lorum aures molles & delicatæ ſuſtinent: nam falſa illa temperantiæ imago, quæ apud tyrannos interdum conſpicitur à ni-mio ſumptu propriarum rerum, *cohibet* illorum animos, vt incredibili auiditate, aliorum bona manibus cõſertis retineant. Atq; hinc etiã nõ minores voluptates per-cipiũt. Singula igitur ſi rectè animaduerta-mus, & ordine, vt opus eſt, Tyrannus cùm in voluptatẽ tanquã in ſupremũ finẽ refe-rat, tũ ex graui animaduerſione, & ſigni-ficatione crudelis animi, & impacta, alio-rum dorſo virga, ac iniquarum legũ ſan-

ctione,

ctione, ſummã animi iucunditatẽ percipit. Eſtq; fructus ille iucunditatis (qui voluptas appellatur) boni imitatrix, malorũ autem mater omnium & eſca (vt Plato dixit) Tyrannicæ vitæ ſupremus finis, in quem cætera ſemper conferuntur. Has ergo voluptates ſummas, quas Aſſyrius Iudæorum oppreſsione percipiebat ſummus Deus, illi erepturum prædicit, cùm virgam contererit, & vincula diſrumpit.

Et præcipiet ſuper te Dominus. Non ſeminabitur ex nomine tuo amplius, de domo Dei tui interficiam ſculptile, & conflatile ponam ſepulchrum tuum, quia inhonoratus es.

IVdicium illud atque ſententia maximè reformidanda eſt quæ nullum admittit prouocationis locum. Nam cùm nobis integrum eſt, per leges à iudice prouocare, magna adhuc ſpes elucet (quæ animũ non ſinit elangueſcere) fugiendi merita ſupplicia. Atq; hæc vna cauſa eſt, propter quam humanas leges interdum, & iudicum ſententiam, aut decreta prætoria contemnimus. Cùm ſint enim ab humano arbitrio profecta, omnia, ſingula liceat interpretari, etiam violenter ex verbis legis aliquan-

do ſenſum eruere noſtræ cauſæ accommodatiſsimum qui ſummo aut fortunarũ, aut honoris, aut vitę diſcrimine nobis patrocinetur. Cũ autẽ lata ſit in nos formidabilis ſententia, non humana volũtate, ſed Diuina: neq; arbitrio humano, ſed numinis cõſilio ſancita & promulgata, quis ſperet ſe, aut prouocatione ad ſuperiorem magiſtratũ, aut ſententiæ interpretatione, euadere poſſe debita ſupplicia, & pœnas commeritas? Eſt autẽ Deus ſummus omnium iudex, cuius imperio & voluntate, quemadmodum res omnes, nullo labore extitere, ita etiam & diſſolui poſſunt, & perturbatis illorum motibus, & communi naturæ lege, in nihilum recidere, neque verò fuga quiſpiam Diuinæ mentis decretum euitare, aut ſe tueri, & ſalutis viam *muni*re poſsit. Vt enim natura illa omnia mouet, ita omnia ſentit, atque intuetur apertiſsimè, & rebus omnibus & locis præſens eſt. Si cœlum conſcẽderis (vt vates inquit) ſi in barathrum & terræ viſcera te dederis præcipitem, ſi compactis & conſutis alis in peregrinas regiones, & nobis ignotas, & à noſtro orbe remotiſsimas, magno conuolaueris impetu, ſemper numinis imperiũ

& pot

& poteſtatem habebis pręſentem. Sanctus itaque propheta Nahum ad explicandam ſententiæ in viros Niniuitas ſeueritatem, imò & ſummam certitudinem, & immutabile iudicium, inquit, Præcipiet ſuper te Dominus. Quę (inquit) ô Aſſyrij, ſapientia, Diuinum poſsit deludere? Quæ potentia Diuinis ſe opponere decretis valeat? quæ opes? quæ diuitiæ? quod corporis robur? quæ agilitas? quod ingenium? quæ ſolertia Diuinæ indignationis contorta in homines tela, & intenta ſuppliciorum fulmina depellere poſsit? Præcipiet ſuper te Dominus ô Aſſur, cuius imperio cuncta obſequuntur & parent, neque poteris non ſingula tibi infenſa & inimica habere, qui omnium opificem & moderatorem ad indignationem impudenter prouocaſti. Sic ſolent prophetæ expoſitis grauiſsimis & intolerabilibus pœnis in homines perditos ac profligatos, Diuinũ tantùm imperium & voluntatem, ac præceptum commemorare dicentes, Verbum Domini: vel, Hæc dicit Dominus: &, Quia Dominus loquutus eſt. Vt ergo Regem Aſſyriorũ, totámque Niniuitarum gentem, vno tantùm verbo de ſpe conatúque depelleret, Diui-

num præceptum ac iuſſa meminit. Præcipiet ſuper te Dominus, Non ſeminabitur (inquit) ex nomine tuo. Nomen autem in arcanis literis, non ad natiuitatem, ſed ad generationem, & ſeculum, & multiplicationem prolis refertur. Interdum pro fama & gloria, & æſtimatione, quemadmodum apud Latinos ſumitur, vt apud prophetam, Nomen eorũ deleſti in æternum, & in ſeculum ſeculi. Omnem abſtuliſti famam & gloriam, quam illi maximè ambiebant. Vt Pſal. 43. de impiis hominibus, Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis, id eſt, terris ſua indidere nomina diuites *impij*, quo longius famam ad poſteritatem protenderent. Cùm fundamentum perpetuæ commendationis & famæ ſit pietas animi, ſine qua nihil poſsit eſſe æternũ, *nihil laudabile*. Eò vſque tamen hominum perditorum inſolentia progreſſa eſt, vt ciuitates ab illo magnificè conſtructas, ſuis appellauerint nominibus, vt proprię exiſtimationis prædicatio, nullum vnquam inter mortales finem acciperet. Alexander in Aegypto Alexandriã condidit, non longè à Nili oſtio (vt Solinus inquit) Eam Dinocrates architectus mirabili ingenio, metatus eſt,

quind

quindecim millia paſſuum laxitate: Aliam in Scithia ſuper Tanain: Aliam in Aſſyria, quam Hebræi, נא appellarunt, id eſt, irritationem, ſiue prohibitionem, cuius appellationis cauſas aliò properãtes prætermittimus. Sic Remus & Romulus fratres Romam ciuitatem ex nomine cõdidere: ſicut Conſtantinopolim Conſtantinus Imperator. Hûc itaque ſemper mortales homines, cupiditate prorogãdi nominis inflammati & incenſi, omnia ſua ſtudia contulere ab exorto mundo, vt aut terris ſuis, vt multis in locis hiſtoriæ Geneſeos liceat conſpicere, aut ciuitatibus, aut oppidis magnificè cõſtructis, quaſi æternis monimentis conſignatum nomen ad poſteritatem omnem tranſmitterent. Hæc nominis celebritas & gloria, & quaſi inſignis nobilitas in Salomone commendatur, quam tamen non ſtulta hominum exiſtimatio, ſed propriæ virtutis ſtudium pareret. Prouer. 22. Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. In eámque ſignificationem à pleriſque vt video, accipitur pręceptum illud Chriſti Ieſu de baptizandis hominibus, In nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Ita enim ab illis nomen accipitur, quaſi Chri-

ſtus, homines baptizandos dixerit, ad amplificandam Diuinæ naturæ, tribus in perſonis exiſtẽtis, gloriã & maieſtatem. Quorum ſentẽtia tametſi probabilis videri potuiſſet Hebraicæ linguæ peritis, autoritas tamen Eccleſiæ illorũ iudicio anteponenda eſt, quæ quanuis euidentẽ rationem addere non poſsit ad oſtendendum hanc eſſe certã baptiſmi formã à Chriſto inſtitutã, In nomine patris, &c. debeat tamen illius exiſtimatio minutos hos Theologos vincere. Itaq; ſanctus propheta Nahũ veteri loquendi conſuetudine ſuæ gentis, graues in Regem Aſſyriorum pœnas intẽtans, nomen illius prorſum abolẽdum ac funditus extirpandũ prædicit, hoc eſt, memoriam, exiſtimationem, & omnem denique famæ celebritatem. Sed vt homines ſoleant æternitatis memoriã, vt diximus, multis rationibus parare, vna ſemper fuit tutiſsima via prorogandæ exiſtimationis ac famæ: filiorũ videlicet chariſsima procreatio. Quẽadmodum enim ad vitã traducendã, nihil hominũ generi dulcius à natura datũ eſt, quàm ſui cuiq; liberi: ita nulla certior via tranſmittẽdi memoriã ad poſteros, & proprij nominis tuendi, quàm liberorum pro-

creat

creatio. Nam quid aliud quæſo ſunt filij, quàm certiſsima paterni nominis effigies, & probitatis aut improbitatis imago? Videmus interdũ legũ Diuinarũ & humanarum autoritate, parẽtũ ſcelera filiorũ pœnis lui: quod tametſi acerbũ videtur, præclarè ſanè legibus comparatũ eſt, tũ vt charitas liberorũ amiciores parẽtes Diuinis & humanis rebus redderet, tũ ꝙ in filio parẽtis ſcelus tanquã effigie propria puniatur, ac propter ſummã in filios indulgẽtiã (ſunt enim ipſa vita chariores) liberorũ ſupplicio, graui afficiantur ipſi dolore & acerbitate. De qua re, quoniã in ſuperioribus copioſè diſputatũ eſt, de ea dicere ſuperuacaneũ ducimus. Hæc ſemper fuit vetus Dei Opt. M. conſuetudo, à primis iam inde ducta tẽporibus, vt quẽadmodũ in argumentum ſummæ beneuolẽtię ac charitatis, neceſſaria omnia ad tuendã vitã corpoream hominibus ſuppeditabat, vt domos in quibus habitarẽt cõmodè, facultatibus, dignitate & familia ſuffultis, nõ ſecus etiã clariſſimã ſobolẽ præberet, in quã tota ſpes dilatandi nominis ac poſteritatis incumberet. Hoc genus beneficij à Diuina profectũ liberalitate, Regius vates Pſal. 127. canit.

ſtus, homines baptizandos dixerit, ad amplificandam Diuinæ naturæ, tribus in perſonis exiſtẽtis, gloriã & maieſtatem. Quorum ſentẽtia tametſi probabilis videri potuiſſet Hebraicæ linguæ peritis, autoritas tamen Eccleſiæ illorũ iudicio anteponenda eſt, quæ quamuis euidentẽ rationem addere non poſsit ad oſtendendum hanc eſſe certã baptiſmi formã à Chriſto inſtitutã, In nomine patris, &c. debeat tamen illius exiſtimatio minutos hos Theologos vincere. Itaq; ſanctus propheta Nahũ veteri loquendi conſuetudine ſuæ gentis, graues in Regem Aſſyriorum pœnas intẽtans, nomen illius prorſum abolẽdum ac funditus extirpandũ prædicit, hoc eſt, memoriam, exiſtimationem, & omnem denique famæ celebritatem. Sed vt homines ſoleant æternitatis memoriã, vt diximus, multis rationibus parare, vna ſemper fuit tutiſsima via prorogandæ exiſtimationis ac famæ: filiorũ videlicet chariſsima procreatio. Quẽadmodum enim ad vitã traducendã, nihil hominũ generi dulcius à natura datũ eſt, quàm ſui cuiq; liberi: ita nulla certior via tranſmittẽdi memoriã ad poſteros, & proprij nominis tuendi, quàm liberorum procreat

creatio. Nam quid aliud quæſo ſunt filij, quàm certiſsima paterni nominis effigies, & probitatis aut improbitatis imago? Videmus interdũ legũ Diuinarũ & humanarum autoritate, parẽtũ ſcelera filiorũ pœnis lui: quod tametſi acerbũ videtur, præclarè ſanè legibus comparatũ eſt, tũ vt charitas liberorũ amiciores parẽtes Diuinis & humanis rebus redderet, tũ ꝙ in filio parẽtis ſcelus tanquã effigie propria puniatur, ac propter ſummã in filios indulgẽtiã (ſunt enim ipſa vita chariores) liberorũ ſupplicio, graui afficiantur ipſi dolore & acerbitate. De qua re, quoniã in ſuperioribus copioſè diſputatũ eſt, de ea dicere ſuperuacaneũ ducimus. Hæc ſemper fuit vetus Dei Opt. M. conſuetudo, à primis iam inde ducta tẽporibus, vt queãdmodũ in argumentum ſummæ beneuolẽtię ac charitatis, neceſſaria omnia ad tuendã vitã corpoream hominibus ſuppeditabat, vt domos in quibus habitarẽt cõmodè, facultatibus, dignitate & familia ſuffultis, nõ ſecus etiã clariſſimã ſobolẽ præberet, in quã tota ſpes dilatandi nominis ac poſteritatis incumberet. Hoc genus beneficij à Diuina profectũ liberalitate, Regius vates Pſal. 127. canit.

Poſtquã enim oſtendit fruſtra eſſe omnem humanũ conatũ, laborẽ & induſtriã circa domeſticã gubernationẽ, & diuitiarũ ſtudiũ, aut rerũ publicarũ optimã inſtitutionem, ni noſtris cœptis fauerit numen de liberorũ frequẽtia & numeroſa ſobole adiecit, Ecce hęreditas Domini, filij merces fructus ventris. Vẽtris fructus (inquit) hæreditas Domini eſt, & donũ ampliſsimũ illius liberalitate collatum: שָׂכָר enim in ſcripturis ſacris etiã liberale donum, non tantùm meritam mercedẽ ſignificat. Augetur autẽ & creſcit mirũ in modũ ipſa beneficij ratio, cùm ſoboles filiorũ excellenti eſt natura & ingenio. Ob eámq; rẽ inquit, Sicut ſagittæ in manu potẽtis, ita filij excuſſorũ, ſiue iuuẽtutũ. Vt enim numinis beneficio numeroſa ſoboles cõſtat, ita etiã Dei eſt liberos donare, valẽtes, gnauos, dexteritate præditos, quales ſolẽt eſſe ſagittæ manu potentis excuſſæ, quę celeriter volãt, & probè conficiunt id, ad quod mittuntur. Et quoniã priori illo ſeculo inter cæteras fœlicitatis humanæ partes, principẽ ſemper locũ obtinuit filiorũ numeroſa procreatio, beatum & fœlicẽ eum appellat, qui pharetrã ſuam talibus impleuerit ſagittis, quaſi hęc

fuiſſet

fuiſſe t apud veteres illos præcipua fœlici-
tatis portio. Commemorat verò filios iu-
uentutis, vt geminum Dei beneficium no-
taret, & quod ſuis liberis donaret ma-
turè, & quod donat cùm tempus eſt illos
educandi, probéque inſtituendi. Neutrum
à parentibus iam ſenio confectis præſtari
poteſt: videmus enim iſtiuſmodi liberos,
aut ſenectutis filios miſerè perſæpe morū
& facultatū iacturā facere. Hoc ſanè (quan
tum ego ingenio conſequi poſſum) benefi-
cium illud erat, quod hiſtoria ſacra refert.
Exod. 1. obſtetricibus à ſummo Deo pro-
miſſum, propter ſingularem in populū Dei
pietatem. Et quia timuerunt obſtetrices
Deum, ædificauit illis domos. Ad eundem
modū Nathā dicebat ad Dauid, Annūtiat
tibi Dominus, ꝙ ſit tibi facturus domum,
hoc eſt, ſtabilem & perpetuam familiam,
facultatibus, dignitate, tum maximè libe-
rorum frequētia illuſtrem. Cùm ergo an-
tiquitus rudem populū, & ampla familia,
& ſobole numeroſa bearet Deus, ꝙ hûc
omnis mortaliū conatus & labores præci-
pui ferātur: fiebat frequēter, vt in homines
impios & nefarios grauiter animaduertēs,
totius familiæ ac domus, filiorū maximè,
ac

ac totius poſteritatis interitum comminaretur. Quæ quoniã innumeris hiſtoriæ ſacræ exemplis firmare cuique promptũ exiſtimo, ad explicandũ prophetæ oraculum ſtylum cõuertamus. Non ſeminabitur (inquit) ex nomine tuo amplius. Eſt itaq; ſenſus Diuinæ huius ſententiæ in Sennacheribum promulgatæ: vniuerſam illius poſteritatem funditus delendam fore, ita vt domus, familia, liberi, non tantùm imperium illius ac regnum exciderentur. Non ſeminabitur de nomine tuo amplius, &c. venuſtiſsima ſanè metaphora, & ad rem explicandam accommodatiſsima. Grana ſi ſulcis committantur, ſurgunt in ſegetes, quæ cùm in fructus iterũ erumpant, non poſsit quoquã pacto eius ſeminis, quod in terra primò fuerit cõiectum, memoria interire. Itaq; ſimul grana in terram coniiciuntur, & nomen ſeminis, id eſt, illius memoria, vt inde iterum excitetur, ac cum nouis fructibus erumpat in auras. Quòd ſi frumenta molli complexu terra ipſa, ac blando ſinu non excipiat, multis poſsit perire modis. Aut enim carie, aut gurgilione, aut vetuſtate conſumitur. Certiſsima itaq; via ſeruandi frumenta ne pereant, proſeminatio eſt,

eſt,quæ nouis ſemper ſeminibus, veteriſq; principij memoriam integram ſeruat. Neque verò Chriſti R. ſententia quempiam noſtrum debeat perturbare,qui cùm propoſita aliquando vteretur metaphora, æternitatem quãdam frumentis non proſeminatis,nec in terram coniectis, tribuere videtur,cum inopia tamen & ſolitudine coniunctam,& quaſi viduitate. Niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Spectat enim Chriſti ſententia in granum illud Diuinitati annexum,quod ſi morte funeſta non diſſeminatum fuiſſet,ſolum vtique maneret,ſolúſque inter mortales Chriſtus gloria & fœlicitate, ac Diuinitatis conſpectu frueretur:careret tamen fructu illo voluptatis,quem numeroſa filiorum ſobole inſtar grani proſeminati percipit, à mortuis excitatus,inſtar ſegetum è terra erumpentium. Vt ergo Senacheribi memoriã funditus delendam ſignificaret prophe. nunquàm amplius illius nomine ſeminandum prædicit. 4. Reg. cap. 9. legimus illum à filiis interemptum,nẽpe Seleuſtro,& Adramelecho,poſtquàm ſuorum militum clade conſternatus,in Aſſyriam fugit, ij verò

patre

patre interfecto in terram Ararat ſe contu lêre,& Eſarchadon minor natu pro patre fuit in Regnũ ſuffectus. Breui deinde tempore interiecto, Rex Babylonius vniuerſum illius Regnum vi & armis occupauit: ac tandem nomen Senacherib cum domo ſimul & familia & liberis, prorſum exciſſum eſt, iuxta oraculum Nahum. Deinde verò cùm longiſsimè progredientem, vltionem Diuinam in Senacheribum, & gẽtem Aſſyriorum, & ciuitatem Niniues, propheta Nahum explicaret, de domo Deorum Senacherib interfecturum ſculptile & conflatile pollicetur. Grauiſsima ſanè comminatio. Nam quis credat eum qui à Deorũ ſimulachris & templis, & religione violanda non temperat, aut domibus, aut foro, aut ciuitati, aut Niniuitis hominibus, veniam & ſceleris remiſsionem daturum, aut aliquam charitatis & amicitiæ ſignificationem? Sic ſolet ſummus ille Deus, cùm in gẽtem aliquam exempla ſuæ iuſtitiæ declarat, & ſummam imperij ſæueritatẽ: ab interitu & excidio religionis totius initiũ ducere. Nihil enim magis Rẽpub. & conuentus hominum, & ſocietates

retinet

retinet, quàm publicus omnium in religionem aliquam conſenſus: tametſi falſoſorum Deorum cultus ſuperſtitio potiùs quàm religio ſit appellãdus. Veruntamen ſiue vana homines religione, ſiue vera teneantur, integrum Reipub. ſtatum, tanquàm in certiſsimam ac tutiſsimam baſim, in religionem ſemper ac cultum Deorum referunt. Conſtans enim illa perſuaſio, aliquam eſſe in vniuerſo arcanam vim hominibus ſuſpiciendam, homines timore quodam coercet, & reuerentiam parit rei alicuius ſupra homines venerandæ. Primos in orbe (vt inquit Statius) Deos fecit timor. Nihil vtique ad retinendam Rempublicam, ne labatur ac funditus intereat, magis neceſſarium quàm fides & conſtantia, hanc ſi tollas, non ſeruantur pacta, non iuramenta, neque publici hominum conuentus celebrari poſſunt. Quò fit, vt cùm iam Diuini eſſet conſilij, vetuſtiſsimum illud Aſſyriorum Regnum, tanta fundatum mole, miſerãda clade conſummere, in templa & Deorum ſimulachra, & totam rationem religionis Aſſyriacæ graues pœnas intentet.

tet. Poſtulabat vtique ratio ipſa, vt falſorũ Deorum nomina delerentur funditus, in quos ſuperbus Senacherib, omnem ſuam confidentiam contuliſſet, cùm ſummum Deum afficeret contumelia, & impiis vocibus Diuinæ naturæ nomen, & dignitatem laceraret. Sic ſolet ille omnes noſtras ſpes decerpere, alacritates, perfugia, expectationes, cùm hæc alibi repetita & collocata videt, quàm in vnius veri Dei præſidio. Eripit nobis fortunas, principum & magnorũ virorum beneuolẽtiam: in odiũ exitiale vertit: arctiſsimas amicitias in bella, & contentiones grauiſsimas, & quaſi falſorum Deorum ſimulachra (noſtrarum expectationum vana præſidia) ſubitò euertit. Paulus Apoſt. auaritiam appellat idolorum cultum. Neque ſecus ego ſtatuendum iudico de cæteris flagitiis, quæ nos vehementer auocant à Deo, & aut voluptatibus corporis & variis libidinibus, aut aliis rebus perituris ac fluxis, ſeruire cogũt. Quemadmodum ergo impium Senacheribum inter aras & puluinaria adorantem confecit, ita frequenter contingit vt inter ipſas ſpes, ac perfugia noſtra, & voluptatũ ſimulachra, vitam eripiat, & improuiſam

inferat

inferat mortem. Ponam idola ipſa ſepulchrum tuum, quia inhonoratus es. Nulla vnquam fuit gẽs tam immanis & fera, quę non habendam ſepulchrorum rationem cum primis duxerit, præter Lotophagos, gentem ex vltima Barbarie. Ij ſuos in mare mortuos abiiciebant, parum intereſſe putantes, humóne an aqua, aut igne diſſoluerentur mortui. Albani præterea curam agere mortuorũ nefas arbitrabantur. Neque ſecus Sabæi defunctorũ corpora tanquam vile ſtercus ducebant. Quorum omnium immanitatem, fœdámque barbariem, nullus eſt qui non execrãdam putet. Tanta enim fuit olim apud gentes omnes religio, vt ſepulchra violaſſe ſummum haberetur ſcelus. Omnibus eſt (vt arbitror) lex illa duodecim tabularum notiſsima, vbi corpus demortui hominis condas, ſacer eſto. Plutarchus in Numa, mortuos appellat ſacros, quorum ſint ſacra ſepulchra. Apud Athenienſes verò, tantus fuit ſepulchrorũ honos, vt bello peremptus, ſi quis ducum ſepulchra honeſtare neglexiſſet, capite plecteretur. Inde verò hæc opinio hominum animis inſedit, vt & ſepulchra venerarentur, & ſepeliendorũ cadauerum

tantam haberent curã (vt Modeſtinus inquit Digeſt.28.) quòd in humanæ cõditionis memoriã ſepulchra fuerint inuenta, atque hinc monumenta dicta. Magna verò inter gentes omnes fuiſſe varietatem, in extruendis ſepulchris, & cadaueribus ſepeliendis, nulli obſcurum eſſe poſsit. Apud Aſſyrios Regum ſepulchra in paludibus & paluſtribus locis erigebantur. Fiebant autem lineamentis exquiſitis, adſtructa maxima columnarum copia, ſplendebant incruſtationes, ſigna ac tabulæ niteſcebant, ſpectabantur ducti ære, aut marmore vultus artificio pereleganti. Magna itaq; fœlicitatis portio habebatur, & inter ſummos ducebatur honores, apud Aſſyriorum Reges, hoc apparatu regio ſepulchro inferri: contrà verò infœlicisſimum iudicabant, ac plenum dedecoris, ſine ſolẽni pompa & ceremonia tumulo condi. Proditum eſt antiquis rerũ monimentis, corpus Sennacherib, ſupremo funeris officio caruiſſe, quòd Aſſyrij arbitrarentur diram illã ſtragem apud Hieroſolymã ſua culpa factam, quæ maximè debilitauit ac fregit Aſſyriorum vires. In eam ergo rem ſpectant verba

ba Nahum, Quia inhonoratus es, aut factus es vilis. Placuit Rabi Dauid Kimhi inhonoratum appellari Sēnacherib, quòd à filiis inter puluinaria & aras fuerit interemptus. Quemadmodum enim legibus eſt naturæ conſentaneum, vt parentes liberi ſummis honoribus proſequantur, ita etiam plenum ignominiæ ac poſtremæ vilitatis cenſemus, quempiam à filiis contumelia affici aut dedecore. Tum verò maximè inhonoratum iure quempiam dicamus, cùm à filiis iniuria afficitur, non inter priuatos parietes ac domeſticos, non in foro; ſed inter ipſas Deorũ aras, quæ etiam ſolent hominibus timorem & religionem incutere. Poſsit etiã huius loci ſenſus germanus, ab Hebrææ gentis conſuetudine, quæ ſacris eſt literis cõprehenſa duci. Nemini poſsit obſcurum eſſe, magnam fuiſſe apud Hebræos ſepeliendi curam. Cautum erat in lege Moſaica, ne quiſpiam viſo cadauere, eo inſepulto tranſiret. Vetuſtiſsimorum hominum ſolicitudo & ſtudium circa ſuprema funeris officia omnibus eſt (vt arbitror) notiſsima. Quàm diligenter filiis mãdauerint, quæ corporibus ſepeliendis neceſſaria eſſent. Tobias mortuos ſe-

peliendo, teſte angelo, Deum promeruit. Laudantur à Dauide vehemẽter, qui corporibus Saulis & Ionathæ ſepulchrorum beneficia contuliſſent. Neque verò illud quempiam latere poſsit, quod in literis arcanis, tanquam ſummæ vindictæ ratio eſt expreſſum. Legimus enim frequenter impiis & nefariis hominibus grauiſsimi ſupplicij loco prædictum, futurum vt honore ſepulchri carerent. 3 Reg. cap. 14. ſummus Deus in Hieroboam Regem impiũ, & idolorum cultorem, per prophetam ſententiam pronuntiabat ſuam, neminem ex ſtirpe Regia (præter puerum vnum innocentem, qui peccata parentum nondum fuiſſet imitatus) inferendum in ſepulchrum: ſed aut feris dilaniandos omnes, aut ab alitibus deuorandos, qui ex rapto viuunt, & paſcuntur. Legimus in hiſtoria Paralipomenon, Regem Ioram, propter vitam multis coinquinatum ſceleribus, buſto etiam caruiſſe, quemadmodum & parentes illius. Habet autẽ illud admirationis plurimum, quod cũ Eſa. c. 11. de Chriſti gloria, multa diuinitus funderet oracula, inter cętera de ſepultura illius intulit, Erit radix Ieſſe, quę ſtat in ſignum populorum; ipſum gẽtes de-

precab

precabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum. Res profectò ſtupēda, vt pater cœleſtis, qui omni voluit genere contumeliæ filiū, quem vnicè diligebat, afficere, & tanquam ſignum proponere, cui aduerſarentur non tantùm gentes, ſed & Iudæi, quem morte non tantùm acerba, ſed probro & dedecore plena, noſtræ dilectionis gratia, plectere voluit, tamen ſepulchrum illius glorioſum fecit & illuſtre. Mortuo enim Ieſu R. Ioſeph ille vir nobilis, mundiſsima ſindone cadauer inuolutum, & à Nicodemo vnguento precioſo & myrrha & aloe permixto, magnificè conditum, ſepulchro committitur, ſolido ſaxo & viuo, diligenter exciſo, in quo nondum quiſpiam conditus fuiſſet. Itaque Chriſtus, qui dum viueret, impiis hominibus & nefariis ſe pulſandum præbuerat & conſpuendum, mortuus tamen honorificè ſepeliri voluit, & ab honeſtis & piis hominibus tractari. Quæ cùm diligentiſsimè à ſanctis Euangeliſtis eſſent explicata, iuxta morem Iudæorum hęc omnia abſoluta circa Chriſti corpus dixere. Ac proinde dubitare nemo poſsit, quibus ex cauſis Sennacheribū appellet Nahum inhonoratum, quòd careret

ſepulchro,& ſupremo funeris officio. Ducitur vtique tota orationis ratió,tum à veteri Aſſyriorum conſuetudine, tum à diligenti gentis Hebrææ cura circa mortuorum cadauera. Diſcat hoc loco pius animus, quanta certitudine Diuina mens de rebus humanis ſtatuat, quàm ſint apud illum cogniti & explicati illarũ exitus, quo pacto ſingula ad illius nutum, volũtatem, & imperium moueantur, illiúſq; iudicium & ſententiã exequantur per omnia. Quàm tutò illius bonitati, potentiæ, ſapientiæ ſe committat Chriſtianus animus, qui & omnia poteſt, & antequam eueniant nouit exactè, quæ ratio fortunæ quenque noſtrum expectet, in quas debeat calamitates incidere, & fœlixne an infœlix totius vitæ exitus ſit futurus. Non dubito quin huius rei diligens animaduerſio, facilè poſſit duris & obſtinatis mẽtibus, vt Dei amorem, ita etiam & timorem & reuerentiam excitare. Diſcat deinde quanta ſit pręſtantia & excellentia eius doni, quod prophetiam appellamus, quod ſummo Dei beneficio mortalibus tributum eſt, vt aliquid homines haberent, quod Diuinam ſcientiam & prouidẽtiam rerum proximè imitaret

taret

taretur. Ignorat nemo quanta ingeniorum contẽtione ſummi philoſophi primorum principiorum certitudinem & euidẽtiam multis præconiis extulerint, vtpotè qua nulla omnino in natura maior poſsit haberi. Quis tamen non intelligat certiorem eſſe propheticam lucem omnibus humanæ mentis primis cõprehenſionibus? Nam vt omittamus, quod ſanctus propheta Nahum de miſerabili clade Niniuitarum, & excidio regni Aſſyriorum, ac Regis Sennacherib infœlici exitu, longè anteà tanta fuit certitudine vaticinatus in vno patriarcha Abrahamo facilè quæ diximus perſpiciantur, qui cùm ex primis naturæ cõprehenſionibus ſatis intelligeret, neque humano ſanguine ſummo Deo eſſe litãdum, neq; hominem innocentem cruenta morte interimendum, atque multò minus innocentem filium vnicum, ſenectute genitum, ac proinde chariſsimum, tantum tamen potuit in homine ſanctiſsimo cœlitus infuſum lumen, & reuelatio accepta Diuinitus, vt ad interimendum innocentem filium, & animum accinxerit, & adhibuerit manus. Quo ergo pacto ſanctiſsimus patriarcha non ſit aut leuitatis aut ſtultitiæ

damnandus, niſi dixeris, certiorem ſe effe-ctum, aduerſa atque contraria efficienda eſſe eis comprehenſionibus, quas humanæ mentis lumen ſuggerere poteſt. Vidit vti-que, & mẽtis acie contemplabatur lumen illud ſupernum, lumini naturali præuale-re, & ſplendere clarius, & certius atque ſe-curius, ita vt ingenitum mentis lumen ſe-quẽdum minime iudicaret ea in parte, quo nouo Diuinitúſque infuſo lumini aduer-ſaretur. Quæ diximus de lumine infuſo cœlitus ad efficiendum operis quidpiam, dicenda etiam ſunt de Diuina luce, pro-phetarum animos colluſtrante, ad cogno-ſcenda futura, ſumma ſcilicet certitudine rerum notas illas oſtendiſſe, quæ naturali rationi occultarentur. tantámque illorum animis lucem infuſam, vt futuras res eui-dentius intuerẽtur, quàm ſi corporeis ſub-iectas oculis illas viderent apertè, ſatis de-clarant quæ diximus oracula Nahum, de interitu Regis Aſſyriorum, & funeſta in-ter Deorum aras morte à filiis illata. Hem tantum poteſt humanus animus Diuina colluſtratus luce: de quo eleganter à Ma-rone dictum accepimus,

Neſcia mens hominum fati ſortiſque futuræ.

Ecce

Ecce ſuper montes pedes Euangelizantis & annuntiantis pacem. Celebra Iuda feſtiuitates tuas, & redde vota tua: quia non adiiciet vltra, vt pertranſeat per te Belihal, vniuerſus interijt.

EPicinion eſt, ſiue carmen victoriæ Iudaici populi ab obſidione liberati. Nam parta victoria, ſolebant veteres & præmia cõferre, & celebritates agere, quæ Epicinia vocarentur. Quæ etiã apud Suetonium in Nerone, pro carminibus ſumuntur, ac laudationibus cõpoſitis, hoſte profligato. Peculiarem autem gentis Hebrææ fuiſſe conſuetudinem, fuſis hoſtibus, carmen occinere dubitare nemo poſsit. Cecinit Moſes, totúſque populus Iſraëliticus victoriæ carmen, cùm ſtupendo miraculo, & inaudito ab exorto mundo, inſectantes Aegyptios per mediũ ſicci maris fugeret, fluctibus in vtranque partem dimotis. Cecinit Ioſue dux fortiſsimus carmen victoriæ ſummo Deo, cùm ad illius imperium ſol aliquandiu ſtetiſſet, vt victor Hebræus fugientem hoſtem, cum cæde & ſtrage longius inſequeretur. Cecinere Barach & Delbora fœmina fatidica, & rerum futurarum præſcia, victoriæ carmẽ, cùm Regẽ Siſaræ

ad montem Tabor cum numeroſo exercitu fugarunt. An verò Iſraeliticæ gēti peculiare aliquod fuerit acclamationis genus, in triumphis, nō ſatis exploratum habeo. Nam quod recentiores quidam attulêre de voce, Hoſiana, quaſi Hebræorum fuerit, adepta victoria, peculiaris acclamatio, quemadmodum Latinis Iô, Triūphe; nunquam mihi ſatis potuit probari. Ego ſane quantū mente percipere poſſum, potiùs crediderim, propriā eius gentis acclamationē fuiſſe, hanc quā propheta Nahū, præſenti loco, deſcribit. Et Eſai. proph. ca. 52. eiſdem penè verbis, quo loco proſtratis hoſtibus Aſſyriis, & Babiloniis profligatis, gratiſsimā libertatē lęto animo & iucūdo, populo Dei denunciat. Quàm ſpecioſi (inquit) ſuper montes annunciātis & prædicātis pacem, &c. ſumitur autē loquendi figura, à ſitu & ingenio terræ Chanaā, quę mōtibus & collibus plena, tota iugoſa efficitur. Ob eamq; rem frequēs eſt in diuinis literis mentio, montiū & collium: pendetq; interdum diuinorū oraculorū ſenſus germanus ab iſtarū rerum cognitione. Quāuis autē tota promiſsionis terra, dēſiſsimis fuerit montibus plena, ciuitas tamen Hieruſa

ruſalem vndiq; erat montibus cincta. Vnde Pſaltes egregius, piorum animorũ confidentiam, & ſummã ſecuritatem, ciuitati Hieruſalem aſsimilabat, quæ vndiq; montibus munita, & clauſa hoſtibus videretur inacceſsibilis. Qui confidũt in Domino ſicut mons Sion, non cõmouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem. Mõtes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui. Hebraicæ loquutionis nobis ſemper parãda familiaritas, quæ orationis calamiſtratæ ac parabolarum eſt Diues. Pedis nomen frequenter vſurpat, pro affectu & voluntate, & cordis deſiderio. Pſalm. 25. Pes meus ſtetit in directo. Ego neminẽ lęſi, nec lædere volui, vt maximè læſerim. Pſal. 35. Nõ veniat mihi pes ſuperbiæ, id eſt, cogitatio. Ne de meis operibus, ſapiẽtia, iuſticia, viribus, arbitrio, præſumã, aut de me ipſo deniq; arrogãter ſentiã, cùm nihil ſim, neq; enim inuenio in me, hoc eſt in carne mea bonũ. Vtũtur ſępiſsimè Hebręi pedũ appellatione pro aduentu & ingreſſu, 1. Gene. 3. Locupletauit te Dominus ad pedes meos, quaſi dixeris ad pręſentiã meã, ad ingreſsũ in domũ tuã. Quibus facile perſpicitur, qd Eſai. quid Nahũ illuſtres vates pedes cõme-

morando ſignificare voluerint, nēpe præſentiam, conſpectum, aduentum illius qui pacem, & nouū atque optimarum rerū ſtatum denuntiabat, pulchrum eſſe, id eſt, longe gratiſsimum & incredibile gaudiū adferre, & animi voluptatem. Quod autem ſanctus Nahum inquit, Ecce ſuper mōtes, pedes, &c. aduerbiū ecce, rem indicat nouam, inauditam, inopinatam, mirabilem, proximam tamen & quaſi ante oculos poſitam, vt iam digito veluti demōſtrari potuiſſet. Eſt autem Hebræis Euangelizare, publica, multúmque expectatæ rei denuntiatio, ac veluti præconium. In eámque ſignificationem à ſanctis prophetis frequenter ſumitur, quoties de gratiæ prædicatione, per Chriſtum euulganda, ſunt vaticinati. Vnde & Euangelium appellant בְּשׂוֹרָה nomine deducto à verbo בִּשֵּׂר Eſaias propheta loco iam adducto de fœlici nuntio & præconio Euangelij, Quàm pulchri ſuper montes pedes prædicantis & annuntiantis pacem. Pro prædicante dixit מְבַשֵּׂר & ſeptuaginta εὐαγγελιζομένων. Hinc ergo Noui Teſtamēti ſcriptores Euangelij vocē pro publica gratia, & redemptionis opere per Chriſtum faciendo ſumitur,

mitur,& pro renũciatione ipſa,ac prædica tione multis prophetarum oraculis antiquitùs celebrata. Scio Græcis Euangelia fuiſſe,ſacrificia, & ſupplicationes pro iucundo, & optato nuncio ſuſceptas, & interdùm fauſti nuncij præmia. Cicero ad Atticum,O ſuaues epiſtolas, quibus Euãgelium deberi fateor. Sed & ipſæ etiã renunciationes & præconia Euangelia appellabantur,autore Heſychio hoc eſt, μηνύματα,καὶ κηρύματα. Neque verò dubitare poſſum: Eſaiam & Nahum cùm fœlicis denunciationis memoriam, ſuis oraculis celebrarunt (vt Paul.ad Rom.ſcribens, ſignificare videtur) vtrumque ſimul mente & animo fuiſſe complexos ſpeciem videlicet & genus,iuxta doctrinam Thyconij, hoc eſt,populi Iudaici libertatem,& reſpirandi locum,hoſtibus profligatis, & multo magis orbis totius ſalutem, & vitam & redemptionem,per Chriſtum faciendam, ac proinde denunciationem illam diu & multum expectatam,quę gratiam Numinis & beneuolentiam,mortalibus polliceretur. Diuina enim mentis incitatio, quæ prophetarum animos impellenda oracula,nunc quidem de rebus proximè venturis

ris inſtruebat,nunc verò de remotiſsimis, & ad Chriſti tempora maximè pertinentibus,ſubitò erudiebat. Quæ quoniã aliis in locis ſunt à nobis explicata copioſius, plura de re propoſita dicere, ſuperuacaneum ducimus. Iubet ergo fœlix illa denunciatio celebret Iuda feſtiuitates ſuas, ac vota ſua reddat Domino. Feſtiuitates appellat,vt arbitrãtur quidam,vel vulgaria ſabbata,quæ cùm eſſent ſacris deputata ceremoniis,vrgente hoſte Aſſyrio,à bellicis negociis feriari vix poterant Iudæi, aut in ipſius Dei bonitate,& potentia conſideranda, detineri. Nemo enim ignorat (vt arbitror)quanta ſæueritate Deus Opt. M. antiquitus vacationem à rebus aliis populo ſuo induxerit, exegerítque ab illo, præ cunctis aliis ceremoniis obſeruationẽ feſtorum. Nam quoniam Diuinæ bonitatis cognitio, & propenſior conſideratio, pars quædam venturæ fœlicitatis erat, voluit ſummus ille Deus,ſabbati obſeruatione eandẽ in populo cognitionem,& alere, & prouehere. Et ſanè haud vulgaris Dei contemptus videbatur non ſuſtinere, tota hebdomada, vel vnum diem cognoſcendo & prædicãdo creatori inſumere,à quo

mortalis

mortalis homo, & ſe, & cætera omnia haberet. Igitur quoniã Iudęi negociis bellicis implicati, aut vulgaria illa ſabbata, aut cæteros ſtatos, ſolennéſque dies, celebrare nõ potuit, iam quaſi ſoluta obſidione audit. Celebra Iuda feſtiuitates tuas. Erit fortaſſe locus intelligendus de feſtis ſolennibus, quæ ex more populus ille Diuino aliquo beneficio ſuſcepto celebrabat. Sanctus propheta Dauid, Pſalm. 22. cùm fauorem Numinis anxiè & ſolicite imploraret, aduerſus impiorum hominum improbitatem in hunc modum aiebat, Narrabo nomen tuum fratribus meis, & in medio Eccleſiæ laudabo te. Et paulò procul, Apud te laus mea in Eccleſia magna. Mos enim erat vt piis regibus ita etiam vniuerſo populo, vt ſingulari aliquo beneficio diuinitus adiuti, nouis ſolennitatibus atq; hymnis, ſummi Dei in ſe bonitatem prædicarent. Excitat idem propheta Pſalmo 81. Iſraeliticam gentem, ad celebrandas magni Dei virtutes, certis & ſtatis diebus, & buccinarum ſonitu, & aliorum inſtrumentorum, atque etiam humanis vocibus, memoriam tantorum beneficiorum refricando. Iubet deinde Na-

hum,

hum, vota perſoluat Iudæorum populus. Nam hic mos cũctis mortalibus, velut natura inditus videtur. Vt quoties graui diſcrimine conſtituti ſerius aliquid à Deo orant, aliquid etiam viciſsim polliceãtur, & votum aliquod nuncupẽt. Meminit ſanctus proph. Dauid veteris huius conſuetudinis, multis in locis. Pſalm. 22. Vota mea reddam in conſpectu timentium eum. Nouerat, nihil homines Deo poſſe præſtare gratius, quàm vt eius bonitatem ſtudioſè deprædicent, & ad eandem rem quoslibet inuitent. Ob eámque rem quoties peculiarem Dei opem implorabat, & vouebat ipſe, & præſente populo reddebat nuncupata vota. Pſal. 76. Vouete (inquit) & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu eius affertis munera. Expoſitis ſummis Dei beneficiis in populum chariſsimum iubet vota nuncupari, vota (inquam) laudis quæ debebant ſuo tempore cum hoſtiis exolui. Hunc locum tamen perperam quidam interpretabantur, qui celebris eſt ad vota firmanda. Si voueritis (inquiunt) reddite. Vouete, enim per imperatiuũm legendũ eſt. Monendi enim ſunt homines, vt Deo id voueãt, quod illi gratum

tum nouerint,huiuſmodi eſt vera innocẽtia & officia dilectionis. His ſi quidpiã ſit aduerſum,neque vouendum,neque ſi votum ſit præſtandum. Neque eſt in literis arcanis inſolens vota pro orationibus ſumi. Pſalm.62.quo loco noſtra traslatio habet, Quoniam tu Deus meus exaudiſti orationem meam. Hebræa ſonare videntur,vota mea. Neque mirum videri debeat,ſi orationes pro votis aliquando, & contrà,votà pro orationibus accipiantur. Nam ſolẽt qui orant ſæpiſsimè vota quædam nuncupare,& certa quadam ratione vouet Deo, qui ſeriò orat & preces apud illum fundit. Veterem proinde illius populi conſuetudinem ſanctus propheta Nahum mente cõplexus,vt ſolẽnitates agat,vt vota ſua Domino reddat hortatur. Huius autẽ rei cauſam reddit dicẽs, Nõ adiiciet vltra vt pertranſeat per te Belihal,vniuerſus interiit. Rab.Dauid ad Sennacherib locũ refert,vt ſit ille cum filiis,totaq; ſtirpe,Belihal:qui à liberis interfectus,& ipſis tandem miſeranda morte confectis, nullum genti Iudæorum iam ab Aſſyriis periculum immineret. Eſt autem Belihal,dictio in ſcripturis frequens. Hebræis dicitur ſignificare

maliciam, licet vbiq; ferè iniquitas transfe ratur. Iudicum 19. Filij Belihal, ideſt, maliciæ, Quaſi dicas. Homines ad nocendum ſemper parati, perfricta fronte, & vt quidam volunt, ſine iugo legis Diuinæ. Quales ſunt qui neque Deum, neque homines reuerentur. Quo fit vt in arcanis literis periculis poſtremis, & quæ nulla humana induſtria aut conſilio poſſumus fugere, dictio Belihal apponatur. Pſal. 8. Torrentes iniquitatis circundederunt me, ſiue torrẽtes Belihal: id quod elegantiſsimam habet Emphaſim. Vt enim torrentibus & fluminibus è ſubitis imbribus, vel è liquentibus niuibus concitatis homines inopinãtes ſolent obrui, idque vi quadam ineuitabili, non ſecùs improbitate ſceleratorum hominum, qua flagrare ſolent, & impigrè omnia tentare, tota innocentiæ, ac veræ pietatis ratio deletur funditus, niſi adſit Numinis fauor. Nõ itaque potuit ſanctus propheta, vel improbitatem & nocendi ſtudium Regis Senacherib, vel magnitudinẽ periculi, quo res Hebræorum fuerant implicatæ, vel amplitudinem beneficij in populum Dei collati, explicare meliùs, quàm dicendo, Belihal, totum funditus ſublatũ,

ideſt,

ideſt, omnes iam nocendi vires, non tantum remiſſas, ſed amiſſas potiùs, ob eamq; rem ſummam ſibi ſecuritatem polliceri poſſe.

COMMENTARIA
IN SECVNDVM CAPVT.

Aſcendit qui diſpergat coram te, qui cuſtodiat obſidionem. Contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde, quia reddidit Dominus ſuperbiam Iacob, ſicut ſuperbiam Iſrael. Quia vaſtatores diſsipauerunt eos, & propagines eorum corruperunt.

EAM ſemper fuiſſe Dei ſummi conſuetudinem, & prouidentiæ rationem, vt quæ mala & incommoda impij homines, & nefarij excogitare ſolent, & concinnare in viros innocentes, & integritate vitæ præſtantes, in ipſos recidant autores, nemo ignorare poſsit. Quas iniurias & fraudes fratres Ioſeph in animo

verſabant, verbis agebant, curabant factis, vt ſanctum hominem, ſiue dolo perderēt, ſiue vi opprimerent? Quàm improbè & obnixè Rex Aegypti Pharao Iſraeliticam gentem, nunquam aut de ſe, aut de ſuis rebus malè meritam, iniquis exactionibus premebat, & atroci liberorum morte vexabat? Quæ mendacia, quas fraudes, impius Saul in Dauidem hominem innocentiſsimum non molitus eſt? Et tamē quemadmodum ab eodem Dauide fuit explicatum, in eum quem foderat lacū impius homo miſerabiliter corruit, & in foueam quam propriis conſiliis fecerat, cùm innocentiam inſectaretur, cecidit ipſe. Nec ſecus fratres Ioſeph, poſt diuenditum hominem iuſtum cùm frumentandi gratia Aegyptum aſcenderent, imperioq; Ioſeph, poſt Pharaonem potiretur, in ſummas rerum difficultates incidêre, quemadmodū in arcanis eſt proditū literis, Pharao Rex iniquus illis conſiliis, quibus de delendo Dei populo cogitabat, Moſem Regia domo enutriuit: quem poſtquàm honeſtè & liberaliter erudire fecit, autorem habuit excidij, atque miſerandæ cladis, qua totus Aegyptiorum populus, ipſe Pharao maxi-
mè

mè cum electa militum manu,fuerunt affecti.Solent ergo impios homines & nefarios deprehendere & abſumere,quæcunq; in homines innocentes mala excogitarũt. Nulli poſsit eſſe obſcurum,quæ fuerit molitus conſilia impius Senacherib,cùm Iudæorum gẽtem,& ſanctam ciuitatem longa premeret obſidione.Sic enim cum animo reputabat ſuo, Diſperdam ego Iudæorum gentem,delebo ciuitatem,templum ſuccẽdam,profanabo ſacra,cogitabat obſidionem trahere,quo ad Iudæorum populus ad ſummam egeſtatem redactus, & lotium biberet,& propria mãducaret ſtercora. Exprobrabat Hebræis,quod Aegypti vias contemplarentur attentiùs,quaſi ab Aegyptiis ſubſidiarium militum exercitum pendentibus animis expectarent. Et vt omnem illis eriperet fiduciam, & ſpem inueniendæ ſalutis, prorſumq; animos frangeret, ſtultum etiam ducebat ad ſummi Dei præſidia cõfugere,& illius implorare opem, ac malè denique & ſtultè ſummam ſpem in Deo collocatam. Sanctus proinde propheta Nahũ Diuina mente incitatus,quaſi rerum omnium exitus, finesq; proſpiceret,& ob oculos poſitam.

Diuinæ prouidentiæ rationem, contemplaretur, circa Aſſyriorum & Iudæorum res, cúmque animo proſpiceret illũ temporis articulum, quando impius Aſſyrius in eam ipſam quam parauerat foueã, erat præcipitandus inquit, Aſcendit (ô Aſſur) qui diſpergat coram te, qui cuſtodiat obſidionem &c. O cæca ac prorſum miſeranda hominum conſilia, qui cùm neque de rebus ipſis, quas ante oculos habent, ſtatuere poſsint, de futuris & incertis, vana quædam & inutilia prorſum ſibi pollicentur. Sic tecũ reputabas Senacherib: diſperdam Iudæorum gentem, & ciuitatem ſanctam. Sed ego (inquit propheta) Diuini Numinis inſtinctu, venientem Babylonium Regem intueor, cupiditate vindictæ inflãmatum, ira excandeſcentem, armis inſtructum, qui Niniuitis hominibus proſpicientibus vniuerſa diripiat, ac funditus Aſſyriorum imperium deleat. Eo vtique conſilio ciuitatis ſanctæ obſidionem trahebas, quò deditionem Iudæi facerent. Sed ecce eodem ſpiritus Diuini afflatu, mente contemplor Babylonios veſtras omnium ciuitates armis obſidentes, vrbes oppugnãtes, labefactantes, tenentes, occupantes. Stultũ omni

omnino arbitrabaris, quòd Aegypti itinera, ac vias, Iudæi contemplarentur, quaſi inde neceſſaria præſtolarētur auxilia. Sed heus tu, mihi crede. Vias contemplare, incipe iam explorare itinera, oculis vniuerſa colluſtra, vt neceſſaria tibi grauiſsimis in periculis ſubſidia inuenire poſsis. Futurum enim eſt, vt quæ mala in populũ Dei cogitaſti, quas fraudes, quas violētias, quas iniurias, ſimul impetu facto in caput tuum recidant. Quibus omnibus (vt diximus) & rationem Diuinæ prouidentię hominibus prorſum occultam explicat propheta, & graphicè deſcribit aduentum Babyloniorum in Niniuitas. Quod autem iubet lumbos confortet Aſſyrius, idiotiſmus eſt Hebraicæ linguæ, quo ſignificatur ſtrenuè ac diligenter, cuncta perficere. Solet Diuina ſcriptura humani corporis partes quaſdã, prudenter ſatis commemorare ad explicandos varios humanæ mentis affectus, cõſilia, actiones, ſic pro ratione & conſilio, & mente, & animo, cor, pro affectibus quibus animus ducitur, pedes, pro actionibus verò, manus, vſurpare ſolet. Quarum loquutionum, quoniam aliis in locis cauſas frequenter & rationes reddidimus, ad alia

properandum eſt. Lumborum itaque mentio frequens eſt in arcanis literis, & haud ſcio an alia frequentiùs occurrat, aut quæ plus habeat obſcuritatis, & difficultatis. Fuit Hebræis lumborum appellatio ſymbolum generationis, quemadmodum, & nomen femoris, ob eámque rem ad promiſsi ſeminis generationem, & teſtamentum, interdum pertinet. Gen. 39. Reges de lumbis ſuis egredientur. Sed & ſummam animi conſtantiam Hebræi ſignificare ſolent, cum vel præcingere lumbos, vel confortare dicunt. Ob eámque rem animi fortitudinem optimo viro neceſſariam (quæ in cohibēdis affectibus carnis perſpicitur) per præcinctos lumbos exprimit Diuina ſcriptura, vt autor eſt Iſichius ſuper Leuiti. cap. 3. Qua loquendi figura carnis mortificatio eleganter exprimitur. Atque hac ſignificatione à Paulo dicitur. State ſuccincti lumbos veſtros in veritate. Eſt enim ςῆναι, ſiſtere, & firmare greſſum, & erigere animum, quod eorum proprium eſt qui in acie ſtant. Sic Ariſt. de inhorreſcentibus διὸ συμβαίνει ἵςαϑαι τὰς τρίχας. Quæ ergo de perfectè ſtantibus, in eum locum, à quibuſdam conferuntur, Hebraicè & Græcè

erud

eruditis riſum mouent. Tota oratio Paulina ſumitur à re bellica, ac verbum ſtandi, & præcingere lumbos, & Balthei appellatio ad eandem rem mihi pertinere videtur. Stat fortis miles in acie, & excubias agit, & ſemper eſt in procinctu, cum hoſte manus cõſerere paratus, vt vitam tueatur: nobis verò nihil non eſt faciendum aduerſum inuiſibiles hoſtes dimicaturis. Eſt itaque in ſcripturis Diuinis lumbos accingere, ſymbolum fortis animi & conſtantis: & firmare lumbos aſsiduum eſſe in negociis, & domi & foris agendis. Contrà lumbos diſſoluere cuiuſpiam, imbecillum & infirmum reddere. Quibus facilè cernitur in quem ſenſum à nobis ſint accipiendæ locutiones illæ paſsim in Diuinis literis occurrentes de præcingendis, & confirmandis, & diſſoluendis lumbis, quæ plurimum difficultatis afferre eruditis etiam hominibus ſolent. Hûc pertinet illud Hieremiæ ca. 13: de lumbari illo quo ad imperium Diuinũ præcingitur. Poſside (inquit) tibi lumbare, ſiue cinctorium, & pones illud ſuper lumbos tuos &c. Symbolum enim erat, proph. præcinctus lumbis, ſiue lumbare renibus admotum. Hebrææ gentis ſtrenuè atq; ge-

neroſè Dei negocia antiquitùs exequẽtis, & ſumma cum Deo familiaritate coniunctæ, ſiue cum in ſancto patriarcha Abrahamo, atque in cæteris patriarchis (quibus ſemper pietas & religio curæ fuit, à ſummo Deo vocabatur, erudiebatur de rebus ad tuendam animi vitam neceſſariis, ſiue cum ex Aegypto & miſeranda ſeruitute, inauditis prodigiis vſque ad tempus illud in gratiſsimam libertatẽ aſſerta, nouo carminis apparatu Diuina beneficia, poſt trãſitum Rubri maris celebrauit, ſiue cum expoſitis Diuinis legibus per Moſem, pari conſenſione, totus populus reſpondit, Quæcunque iubet Dominus exequemur libenter. Vt autem antiquitùs gens illa, omnem aſsiduitatem & diligentiam declarabat, circa mandata Diuina, ita etiam tanto fuit animi candore, vt mundiſsimo lino aſsimilaretur. Cùm autem ad perditam vitam & genus omne flagitij (vera etiam religione deſerta) relaberetur, diſcincta lumbis erat quemadmodum Hieremias cùm lumbare depoſuit: ac propriã ignauiam, & inertiã, iniquis operibus declarauit. Cãdorem autem priſtinum amiſſit, & veterem munditiem, omnem rationem

nem innocentiæ à ſe prorſum ablegauit, & generoſus denique ille mentis habitus longa peccandi conſuetudine, quaſi pecca torum ſterquilinio & caho inuolutus cõ-putruit. Quæ à Hieremia propheta elegã-ter, ſymbolo illo, & lumbaris imagine ex-plicantur iam fuerit promptũ cuiq; intelli gere, quid propheta Nahũ iubet Aſſyrio, cùm cõfirmare lumbos, ſiue corroborare præcipiat. Adhibite ô Aſſyrij ſummam dili gentiam & aſsiduitatem, & cætera omnia quæ ſunt in cura, & attentione animi, cogi tatione, vigilantia, labore. Cauete ne quid temerè, aut inconſideratè, aut negligenter agatis, inſtat enim hoſtis Babylonius for-tis, acer, vincẽdi & ſuperandi percupidus. Cauſam verò reddit, qua & admonitionẽ ſuperiorẽ, & aduentũ Babyloniorũ, & Di-uinæ deniq; mentis indignationẽ elegãter explicat. Quia reddidit Dominus (inquit) ſuperbiã Iacob, ſicut ſupbiã Iſrael. Locus (vt mihi videtur) eſt pobſcurus, & q viros doctos & eloquẽtes vehementer vexauerit. Rupertus more ſuo noua cõmenta in hunc locũ contulit, quæ nõ tantũ oraculi pphetici aſperitatẽ cõplanare nõ poſsint, ſed denſiores obfundere tenebras videan tur.

tur. Nomine Iacob(inquit)ſanctum illum Patriarcham intelligit Propheta duodecim filiis illuſtrem: Iſraelis autem appellatione Chriſtum. R. oportet intelligamus,& electos omnes, qui Chriſtum ſumma pietate animi ſectati ſunt. Reddidit ergo Dominus ſuperbiam Iacob,& intulit debitas pœnas pro arrogantia, & animi tumore, quo electum populum, homines impij antiquitus diripuêre, afflixêre: cùm Pharaonem aquis marinis conuolutum, cum exercitu numeroſo interemit. Cum Babylonium(qui gentem Iſraeliticā multis modis vexauit)imperio expoliauit & Regno,& ad Perſas, Medóſq; tranſtulit. Cùm Antiochus Epiphanius non vi, aut armis,ſed miſerabili morbo conſumptus periit. Sic etiam & ſuperbiæ Iſraelis (inquit Rupertus)reddidit,cùm inimicos Chriſti tot modis confecit,cùm impios Iudæos,qui inuidia concitati & cōmoti,ſanguinem innoxium fuderunt,& illorū ciuitatem ampliſsimā Romanorum armis funditus deleuit:ipſamq; Iudæorū gentem ad æternam ſeruitutem, & dedecus ſempiternum ſeruauit. Hæc vt vera ſint, & literis ſacris conſona,ad explicandum tamen

men vaticinium Nahum,nullum (vt mihi videtur)pondus habent. Totus ergo Iudæorum populus,ab eo iam tempore,quo propter Salomonis ſcelera, & Roboami dementiam, & iuueniles conatus,& rationem moderandi Rempubli.nullo conſilio prudentiáque ſuffultam, Iſraeliticum Regnum in duas fuit partes diſiectum, duæ tribus Iuda & Beniamin, quæ apud Regẽ Roboam manendum putauêre, nomine Iacob cœperunt appellari Cæteræ omnes quæ ab imperio Roboami defecerunt, nomine Iſraelis. Quo fit,vt apud prophetas, frequenter, poſt diſiectum in duas partes Regnũ illud, his duabus appellationibus, Iacob & Iſrael duæ gentes exprimantur, Iudæorum & Iſraelitarum. Eſai. 14.Miſerebitur enim Dominus Iacob,& eliget adhûc de Iſrael &c. Prior illa vaticinij pars domui Iuda,altera verò decem eſt tribubus accommodanda. Non ignoro duas illas voces apud prophetas interdum ita cõfundi,vt vix intelligere poſsis, quando de decem tribubus,quando de duabus vaticinentur,vt Eſai. 17.& Hieremiæ 30.Frequentius tamen à temporibus Eſaiæ,aliorúmq; prophetarum maximè illuſtrium,

nomine Iacob duas tribus. Iſraelis appellatione,reliquas decem exprimi deprehẽdes. Igitur Salmanaſar, quem patrem Senacherib quidam arbitrantur, Iſraelem, decem ſcilicet tribus, in miſeram captiuitatem duxit,atque inter Aſſyrios collocarat: quemadmodum & filius Senacherib reliquas duas,aut affligere aut in captiuitatem abducere curarat. Quemadmodum ergo ſuperbiam Senacherib, & nefarios illius conatus repreſsit (vt in ſuperioribus diximus)ſic reddidit ſuperbiæ Aſſyriorũ, qua decem etiam tribus afflixêre, id eſt, Vtriuſque ſceleris debitas pœnas ſuis temporibus à vobis repoſcet, & antiqua flagitia vocabit in pœnam. Hæc videtur Hieronymi ac Cyrani eſſe ſententia. Sed poſſit locus in alium trahi ſenſum longè diuerſum. Varia enim eſt huius vocis גָּאוֹן poteſtas,variáque ſignificatio,pro qua interpres noſter ſuperbiam vertit. Ducitur vox iſta à verbo גָּאָה quod eleuare,magnifice, gloriosè agere ſignificat. Exodus cap. 15. Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus eſt. Hebraicè גָאֹה גָּאָה quem locum Latinus interpres vertit prudenter ſatis. Non ſuperbiendo ſu-

perbiuit:

perbiuit: quod ineptum videretur & impiũ de ſummo Deo dicere. Superbè egit, aut ſimile quidpiam, ſed glorioſè magnificatus eſt. Poſsit ergo dictio גאון magnificentiam & gloriam, & ſplendorem, ac celebritatem ſignificare. Eritque ſenſus huius loci. Reddidit Dominus gloriam & magnificẽtiã Iacob, ſicut gloriã & magnificentiã Iſrael. Quemadmodũ enim Iſraeliticã gentẽ, ſuis ſedibus reſtituens, glorioſam illam & mirabilẽ effecit, hoſtibus proſtratis atque deiectis, ſic etiam & dira pernicie cõſumptis exercitibus Senacherib, tum impio Rege funeſta morte interẽpto, & liberis totáq; regia ſobole trucidata partim, partim fugata, populũ Iudæorũ illuſtrẽ reddidit ac glorioſũ, & magnificè cũ illo fecit ac liberaliter. Vt ergo gentẽ Iſraeliticã in antiquũ ſplendorẽ, non ſine ſummo beneficio aſſeruit, ita & populũ Iudæorũ in priſtinã gloriã vindicauit. Poſsis tamen ſine periculo duas appellationes pro vera Iudæorũ gẽte accipere, more prophetico, in ea ſentẽtia quæ à nobis poſtremo fuit loco explicata (vt arbitror) interpres Chaldæus eſt qui locũ ita vertit. Cõuertit Dominus fortitudinẽ Iacob, & magnitudinẽ

Iſraeli

Iſraelis. Hæc autem à propheta dicuntur (vt arbitror) tum ad declarandam futurarum rerum præſenſionẽ, quæ penes Deũ certiſsima eſt, tum ad explicandam rationem Diuinæ prouidentiæ circa electos homines ac ſibi chariſsimos, quos videmus interdum, laborare, ſudare, per ardua conſcendere: malos contrà laſciuire, diffluere voluptatibus, & ſine dolore aut acerbitatis ſenſu aliquo, vitam traducere. Cupit enim vehementer indulgentiſsimus pater, filios quos diligit vnice continere triſtiori diſciplina: ob eámque rem probat, tẽtat indurat, & ſibi denique præparat. Solent enim homines improbi & nefarij cùm populum Dei in anceps aliquod periculum vocari vident, & iniqua ſemper fortuna vexari, cogitare cum animo ſuo, aut nullam eſſe Diuinam mentem, quę rebus omnibus præſideat, aut nullo illius conſilio & prouidentia res humanas adminiſtrari, aut Deorum prouidentiam, inertem quidem & languidam, quæ bonos viros tot modis diſcruciari in hac vita patiatur. Quid obſecro cogitabat Aſſyrius, cũ Dei populũ tam acriter premi & diuexari videret? Cùm nullum in terris habere præſidium,

dium,nullam Iudæis patere viam,ad effugiendum gladium Aſſyriorum,& depellendum intentatum ferrum? Nonne inualidum eſſe Deum gentis Iſraeliticæ & imbecillum impia voce pronũciabat,qui populum ſibi electum & chariſsimum,graui periculo non eripuiſſet? Nõ eſt(inquit Nahum)quod innocentiam & probitatem viduam,deſertam,aut deſolatam arbitremini:patronum habet in cœlis & aduocatũ, & quidem fortiſsimum ac potẽtiſsimum. Non patietur ille gloriam Iacob & gentis Iſraeliticæ dignitatem ab impiis dilacerari,comminui , proculcari : tuebitur, hoſte profligato,nomen Hebrææ gentis,& antiquum noſtræ ciuitatis ſplendorem,& veterem gloriam excitabit iterum. Paternũ erga nos Deus animum habet potiùs quã maternum,quò fit vt doloribus,cruciatibus ſummíſque vitæ periculis committat, vt verum colligamus virtutis robur,& ad mentem redire compellat.Cupit vehemẽter Iudæos optimos eſſe,atque excellẽtes quantùm fieri poteſt:ob eámque rem,fortunam illis cum qua exerceantur aſsignat, illóſque ſpectat colluctantes cum graui calamitate.Sic quos ille diligit erectos ad ho

neſta facit, laboris appetentes, & ad officia cum periculo promptos. Pro nobis ſunt ô Aſſyrij quæ horremus, ac tremimus in graue periculum vocari, in egeſtatem adduci, affici ignominia, ac debilitari. Curat gẽtem noſtram veſtra improbitate, tãquàm ferro & igne, tanquàm fame & ſiti magnus ille medicus, & quaſi membra amputat, quæ ſine totius pernicie corporis, hærere non poterant. Calamitates verò has & terrores, ille tandem ſub iugum mittet, excitata veteri Iſraelis, & Iudææ gentis gloria & dignitate. Eandem ipſam prouidẽtiam Diuinam erga populum electum, apertiùs multo explicuit, cùm in ſequẽtibus inquit, Quia vaſtatores diſsipauerũt eos, & propagines eorum corruperunt. Multa eſt in arcanis literis vineæ Metaphora, arborũ, ſegetum, herbarum: quòd hæc hominum piorum, & impiorum ingenium, mores, cõſuetudines, eleganter explicet. Nulla verò inter cæteras Metaphoras, & Allegorias, quibus Diuina ſcriptura frequenter abundat, vel prouidentiam ſummi Dei erga populum electum, vel iuſtorum hominũ ſtudia, conſilia, cogitatus, opera, propiùs proponit contemplanda, & colluſtrãda, quàm

Meta

Metaphora vineæ:qua(niſi me falſum opi nio tenet) propheta Nahum, Iudææ gen tis affectiones innumeras,& Iſraelitici populi calamitates , ac magni Agricolæ Dei curam & proſpectionē explicare voluit, cùm vaſtatores,& propagines commemo rauit.Principiò cùm omne genus ruris,niſi diligēti cura ſcitéq; exerceatur,fructuoſum eſſe non poteſt,tum vel maximè,vineæ. Res enim eſt tenera,infirma,& iniuriæ omnis maximè impatiens,quæ plerũque nimio labore & vbertate conſumitur,perítque(ſi modum non adhibeas)fœcũditate ſua. Imò cùm ſe iam aliquatenus confirmauit, & veluti iuuenile robur accepit,vix negligentiam aliquam ſuſtineat. Dum verò nouella iam adoleſcit, niſi omnia iuſta perceperit,ad vltimam redigitur maciem,& ſic intabeſcit,vt nullis deinde impēſis poſsit recreari. Quid(dic mihi) elegantius eſſe poſsit,aut ad explicãda hominũ ingenia,& Diuinæ curæ & proſpectionis erga nos indigētiã ſummam,accõmodatius? Niſi enim ſumma diligētia bonus agricola,quaſi prima fũdamēta ponat circa res humanas,& vt mēbra infantiũ,à primo ſtatim die cõſitiõis vineę huius,ſua

bonitate formet, nunquam (mihi crede) neceſſarios erumpet in fructus. Videmus frequenter benè plantatam à Deo vineã, boníque generis, ſuo vitio, nullam cum fœnore cultori gratiam reddere. Quid futurum ſperes, ſi deficiat magna illa & aſsidua Agricolæ Dei cultura? nonne neceſſarium ſit celeriter interire? Quid ſi à conſitione ipſa, ſingulis menſibus, imò diebus imò tẽporis momentis ſingulis non foderet verbo, curarétque ne noxiæ herbæ naſcerentur? Quid ſi tempeſtiuè non ablaquearet, amputaret, reſecaret, vites etiam alligaret ſolicitè? S. Proph. Dauid Pſal. 32. conqueritur grauiſsime quòd plantatam antiquitùs vineam (veterem videlicet eccleſiam) bonus Agricola incultam multis diebus deſſeruiſſet, neque ſua diligentia, & cura iam adiuuaret. Vineam de Aegypto trãſtuliſti: eieciſti gentes & plantaſti eam. Dux itineris fuiſti in conſpectu eius, plantaſti radices eius, & impleuit terram. Plantauit vineam illam ſibi dilectam ſummus Deus in terra Chanaam, & Iudæorum ſurculis & maleolis, & à dumoſa Aegypti tellure, vbi per multos iam fuerat annos plantata, radicibus extirpauit. Quæ cùm eie-

ctis

ctis Chananæorum plantis, in immenſum creuiſſent palmites & propagines, quas corruptas à vaſtatoribus dicit propheta Nahum, vſque ad Mediterraneum Mare, flumén que Euphrâtem protenſa erat omnibus admirationi. Deficiente verò Agricolæ tutela, ac neceſſaria proſpectione, deſtructa macerie, vindemiarunt illam gentes omnes, & tam late fuit deuaſtata, quàm vinea ſolet vuarum tempore à cuſtodibus derelicta. Exterminauit eam aper de ſylua (inquit Dauid) & ſingularis fera depaſta eſt eam. Aper de ſylua (bellua inter cæteras vineis maximè infeſta) illam depopulatus eſt, Babylonius aper, Aſſyrius, Macedonicus, tanquam nemorum vel camporũ feræ in vineam iſtã impetum fecere. Fuit ergo omnibus ferarum morſibus obnoxia, deficiente Agricolæ cura, & diligẽtia. Sed qui illam ſpontaneo ſeuit motu, ac cõſilio, ſuo tẽpore viſitabat, excolebat, purgabat. Quòd enim chariſsimum ſibi populum benignus Agricòla ad tempus deſerit, & incultum relinquit, & vaſtatoribus permittit propagines, & feris racemos, in eam rem factum exiſtimemus, ne nimia vbertate conſumatur & pereat, ſi modus non

adhibeatur, illius fœcunditati. Proſpicit enim de excelſo maieſtatis ſolio,& fauēti reſpicit intuitu aliquādo,qui vineæ huius ſceleribus offenſus longè videbatur receſſiſſe. Cauſam ergo proph.reddit propter quā Deus Op.M.veterem Iudaicæ gentis gloriā excitaturus eſſet,& populi Iſraeliti ci nomen,& dignitatem,in lucē vindicatu rus. Vinea eſt Dei populus,electíq; omnes, qui tametſi impiorū hominum improbitati,& petulantiæ diripiendi,permittātur, inſtar propaginum vineæ illius quæ Agricolæ iam eſt cura deſerta,ſed iacentē hære ditatem ſubleuabit: eſt enim illius & Dominus,& ſator & Agricola. Detraxit vos ô Aſſyrij tanquā apros ferociſsimos,& vrſos è nemore,aut ſummis montibus iniqui tas noſtra,& in noſtram perniciem armauit:ſed hanc rerū mutationem,& irreparabilem ruinam, & vulnus lethale ipſe tandem curabit:neq; ſemper patietur ab impiis effoſſoribus ſubuerti vineam dilectā. Optimus Agricola ille eſt(neq; quēadmodum inertes homines ſolent)qui fortiter auſpicatur opera,diligentérq; iam perfecta tuetur. Sunt quidam qui ab inchoato domos extruunt,edificatis verò nullū adhibent

hibent cultum,pleriq; beneficia,quæ in amicos conferunt,leuitate deſtruunt.Liberos etiam nuptiis votíſque quæſitos,nullis diſciplinis,nullíſq; optimis inſtitutis vitæ excolunt. Simili genere ab agricolis peccari videmus, qui pulcherrimè plantatas vineas antequàm pubeſcant,leui quacũq; ex cauſa deſtituũt.Non fecit noſter Agricola vineam,quã in perpetuum deſereret, ita vt radicitus euerſam & conſumptã in æternum iacere patiatur.Eriget ergo proſtratam à vobis hæreditatem, irrigabit vbertim,vt illam perpetua efficiat viriditate æternam.

Clypeus fortium eius ignitus,viri exercitus in coccineis,igneæ habenæ currus,in die præparationis eius,& agitatores conſopiti ſunt:in itineribus conturbati ſunt,quadrigæ colliſæ ſunt in plateis.

INcipit enarrare propheta pompam ad bellum ſe præparantium:éſtq; pulcherrima proſopographia exercitus oppugnãtium Babyloniorum. Conſtituuntur autẽ legiones,primò ex peditibus & equitibus: ob eámq; rem principio pedites cõmemorat inquiens, Clypeus fortiũ eius ignitus,

Clypeus peditũ eſt, vt Seruius docet: ſunt enim ſcuta maiora, ſcuta verò ſunt equitum. Solet autem ſplendor armorum, quẽadmodum milites ipſos armatos lætitia perfundere, & illis animos addere ad dimicandum ſtrenuè: ſic etiam & aduerſariis, terrorem incutere grauiſsimum: id quod ſacra & profana hiſtoria docent. Optimi verò atque ſtrenui ducis eſt, ita bellicos omnes apparatus inſtruere, vt & hoſtibus ſint formidini, & ſuis militibus ampliores ad pugnandum animos faciat. Quocirca cum hibernis aut æſtiuis agunt, & cùm id præſtant induciæ, ita vt non ſit neceſſe in acie ſtare, aut agere excubias ſub pellibus, arma parare ſolet, atque perpolire, ne rubigine obducantur. Qua optimi imperatoris conſuetudine, atque diligentia, ſumpta loquendi formula Regius propheta Dauid Pſal. 7. in hunc modum, ad deterrendos peccatores aiebat, Deus iudex iuſtus, fortis & patiens, nũquid iraſcitur per ſingulos dies? Quòd impiorum hominum effrenatam peccandi libidinem non quotidie punit, ſed ſuffert, irámque diſsimulat, hoc ſanè facit, quo veſtros emolliat animos, ad pœnitentiámque trahat. Quo

cir

circa nolite improbiores effici. Cæterùm cùm veſtras impietates ſumma animi lenitate ferendas ducit: animos adhibete pręſentes, neque illius prouidentiam contemnatis. Cùm enim tempus eſt induciarum, gladium ſuum vibrat, arcus tendit & parat, atque in eis vaſa mortis apponit, hoc eſt, ſpicula quæ ſecum mortem afferant. Nolite exiſtimare ſummum imperatorem Deum, deſidem eſſe, aut in otio agere, cùm veſtra flagitia & impietates ſuſtinet. Nam cùm ad hominum ſcelera conniuere videtur, tum inſtar optimi ducis arma perpolit, gladios exacuit & vibrat, tendit arcus, & letales ſagittas præſentaneo illitas veneno in arcu ponit, quo faciliùs proſternat hoſtes, quæ non poſsint à ſauciorum corporibus abſque anima diuelli. Clypeos itaque ſplendentes & ignitos propheta commemorat, quo Babyloniorum induſtriam circa res bellicas commendet, & exaggeret: ſunt enim micantia arma & ſplendentia argumentum certiſsimum gentis ad res bellicas tractandas minime inertis. De equitibus verò Babylonicis adiecit, Viri exercitus eius in Coccineis &c. Veſtis Coccineæ nomine,

Chlamydem (vt arbitror) intelligit, quæ veſtis militaris erat, pallio penè aduerſa, multo tamē breuior atque ſtrictior. Opus eſt (inquit Plautus) ad ornatū militis Chlamyde, Machera, & Petaſo. Iulius Pollux inter apparatus militares, nominat Chlamydem. Veſtes autem Coccineas nominando, illud præterea ſignificare voluit, equites Babylonicos non ex Agricolis aut ipſa fęce vulgi fore deligendos: ſed ex nobilitate maximè illuſtri, id quod coccinea veſtis indicat. Nam tametſi Ruſtica plebs ferendis laboribus ſit apta, patiens ſolis, vmbræq́ue negligens, balnearum ac delitiarum ignara, cui ſemper conſuetudo eſt de rure, ferrum geſtare, foſſam ducere, onera ferre: aptiores tamen ſunt ad congrediendum viri vrbani, & nobiles. Extimulantur enim gloriæ ac nominis cupiditate, quæ erectis animis & excelſis, ſemper cognata eſt. Solet plerunque egeſtas impedimento eſſe quo minus res magnas atque præclaras homines aggrediantur, quas ſimul aggreſsi, non eam honeſti, atque decori rationem ſeruant, quæ neceſſaria eſt: quod in militibus conducticiis ſæpè videmus. Satis ergo oſtendit

appa

apparatus ipſe Coccineus, equites Babylonicos, non ex tenuibus neque vulgaribus colligēdos, ſed ex nobilitate ipſa: ne illorum animos remorentur Aſſyriorum præmia, pollicitationes, cæteráque id genus, quo minus ſummi Dei imperium de perdendis Niniuitis, aggrediantur. Ea ex cauſa fortaſſe, quòd veſtis coccinea, militaris fuerit apud veteres. Chriſtum R. N. poſt innumeras alias acerbitates & contumelias veſte induebant coccinea impij homines, vt ſacra habet hiſtoria. Nam vt regio ſceptro, & corona ſpinea, tanquam imperij atque Regni affectatorem illum notabant, ita etiam & Chlamyde totam dehoneſtabant vitæ rationem, ac ſi Chriſtus fuiſſet omni ſcelere & flagitio perditus, & contaminatus. Faciebat enim & color, & forma veſtis ad ludibrium, maximè cùm ſoleat eſſe hoc genus hominum, qui vitam habent venalem, fœdum, miſerum ac perditum. Igneæ habenæ curruum, in die præparationis eius, vel, vt alij vertunt, in ardentibus loris. Equitum adhuc ornamenta deſcribit, varia & precioſa, quo maiorem ſemper Aſſyriis formidinem

exci

excitet. Habenæ curruum &c. ſunt hæc ad phaleras referenda, & equorum ornamenta, quæ Hiſpanè appellamus Iaez. Lybies, Babylonij, Perſæ pugnabant ex curribus, ſicut apud Homerum Heroes. His Monippos non nouerunt (vt arbitror) ſic enim appellabant vno depugnantes equo. Erant autem currus falcati quos Xenophon ἀναβάσεως α. ἅρματα δρεπανηφόρα, appellat, quibus Babylonij vtebantur in bello. Quadrigæ verò currus erant, ſimiles ſolaribus: quos Ericthonius primus omnium iungere docuit (vt Arati vetuſtiſsimus teſtatur interpres) ob eámque rem inter Deos à gentibus tranſlatus fuit. Fuiſſe Babyloniis & Perſis vnicum præſidium in quadrigis prodit Q. Curtius. Itaque cum audis equorum ornamenta ignita ſiue ſplendentia Cataphractos Babylonios intelligas, qui & propria corpora, & equos ipſos & currus lorica vndiq; muniebant; Hos ſcribit Vegetius fuiſſe à vulneribus tutos, & Q. Curtius illarũ gẽtiũ equis, tegumenta fuiſſe ex laminis ferreis ſerie quadã inter ſe connexis, qui (vt ſcribit Ammianus Marcellinus) clibanarij dicebãtur. Lãpridius in Alexãdri Cæſaris oratiõe, de

Per

Perſis ſub iugũ miſsis innuere videtur, ab armorum ſplendore, Clibanarios appellatos. Pro more gentium itaque dictum exiſtimo. Igneæ habenæ curruum in ardentibus loris, ſiue in die præparationis ad bellum. Poſsis quæ dicuntur de curribus à propheta in alium ſenſum accipere, ſi Hebræa exactius expendas, ſic enim ſonare videntur, Quaſi ignis lampadarum, currus in die expeditionis eius. Currus lampadibus aſſimilãtur, quòd magno impetu agitati, ignem & ſcintillas excuterẽt. Agitatores conſopiti ſunt. Hæc verba D. Hieronymus refert ad primores ducéſque Aſſyriorum, qui ſtrepitu rotarum & curruum colliſione conterriti vehementer exanimarentur. In eadem ſententia eſt, vt videtur Rab. Dauid, Kimhi, niſi quòd pro agitatoribus vertit Abietes. Eos itaque qui inter Niniuitas honeſtiorem tenerent locum, Abietes concuſſas appellat, more ſanctarum ſcripturarum quæ impios homines & nefarios (eos maximè qui inter cæteros videntur florere) arboribus aſſimilare ſolet altiſsimis, ſed ſterilibus & infrugiferis, ad exprimendum illorum faſtum & arrogantiam, & animi tumorem,

ſtudia

ſtudia, conſilia, omni ſemper fructu & vtilitate vacua. Neque vero illorum ſententia mihi improbatur, qui Abietes ad lanceas referendas arbitrantur. Sunt enim inter equites quidam, quos Haſtatos appellamus: ſunt quos Ferentarios dicimus, qui eminus dimicare ſolent, quorum arma ſunt arcus, & iacula Parthorum more. Haſtati verò manus cum aduerſario conſerunt, & cominus haſta decertant. Neque deſunt qui appellationem Abietum, militibus velint accommodare, quaſi ipſa corporum vaſtitate & magnitudine Abietibus ſimiles videantur. Homerus cùm Herois cuiuſpiam necem deſcribit, ſolet interdum vel decidenti turri, vel arbori altiſsimæ, ab imis radicibus exciſſæ, ruenti aſſimilare concidens humi cadauer. Illa verò ſunt facillima quæ de colliſis quadrigis inquit propheta. Tanta (inquit) eſt multitudo venientium, vt commixtum agmen ſit in itinere, & diſcerni nequeat. Quadrigæ quoque dum viam non reperiunt præ multitudine inter ſe colliduntur in plateis. Tum verò, Chriſtiane lector, diligenter

ani

animaduerte, quanta ſit bonitas & ſapientia ſummi illius Dei Niniuitarum hoſtis. Poſsint fortaſſe lectori non ſatis attento hæc omnia quæ ſanctus Propheta comminatur in Aſſyrios indicia videri certiſſima animi concitati, & ad vindictam propenſi, cùm tamen omnia ſint plena clementiæ, manſuetudinis, humanitatis. Non cupit Deus tale inperij genus in homines declarare, quale à propheta deſcribitur. Nam ſi illius animo probaretur tanta ſeueritas, ſi illud ex deſtinato voluiſſet, vt Babylonij armati, curribus & quadrigis inſtructi, aſpectu terribiles, multitudine innumerabiles Niniuitarum ciuitatem, & imperium funditus delerent. Et quid opus erat Aſſyriorum auribus tanta diligentia pompam bellicam venientium Babyloniorum occinere? Potuiſſet vtique ille impiorum hominum delicta fulminibus ſtatim perſequi, ſed nouit optimè quando ſit gratius, & pulchrius imperium mite & manſuetum, & ſereno ac puro die perſimile, quàm turbidum & fragoribus crebris perturbatum & concuſſum. Quis enim non intelligat eandem eſſe faciem quieti &

ti & moderati imperij & ſereni Cœli atq; nitentis? Neque ergo apud Aſſyrios exponit Babyloniorum aduentum & bellicos apparatus oſtentandæ ſeueritatis gratia, ſed extorquendæ potius pœnitudinis & commutandi in melius illorum perditam vitam, & perniciosa conſilia. Quid obſecro opus erat tam diligenter perſequi hoſtium ornamenta bellica, veſtes, currus, habenas, quadrigas, niſi vt dum hæc apud peccatores homines exponuntur, & manus ipſe Deus à percuſsione reprimat, & impiis hominibus ſalutarem incutiat terrorem? Nam quid ſit per Deum immortalē, quod magis obſtinatos animos ad mētem redire cogat, quàm videre eum cuius iræ nihil obſtat, cuius grauiori ſententiæ ipſi qui pereunt neceſsitate quadam aſſentiuntur, ſeipſum ad tempus comprimere, & dum hæc referuntur apud impios, imperium ſuum ac ſummam illius ſæueritatem retinere? Itaque illa quæ hominibus videri potuiſſet ſæua ira, atque inexorabilis, ſumma debeat videri benignitas & clementia. Nullum enim ſaxum non mouet magnus ille Medicus, vt Niniuitarum & Aſſyriorum ſceleribus medeatur. Nam

ſic ſo

ſic ſolet ille poſt vocationem blandã, ſuauem & mitem, ſi parum proficiat, terrere, impetere, vexare. Cum ergo audis armatos milites, & equites inſtructos ad dimicandum, colliſas quadrigas in plateis, & Niniuitas ad ſonitus repentinos expaueſcentes, & ignes hinc atque illinc micãtes, tanquam maternam vocem audis, filium infantem & chariſsimũ territamentis quibuſdam è graui aliquo periculo mortis & re maximè nociua reuocantem.

Aſpectus eorum quaſi lampadis, quaſi fulgura diſcurrentia, recordabitur fortium ſuorum, ruent in itineribus ſuis.

ASpectus Babyloniorum lampadibus aſsimilat, & fulgetris diſcurrentibus, vt viſu antea aduerſarios terreant quàm feriant mucrone. Eſt autem aptiſsima ſimilitudo qua vultus Babyloniorum lampadibus aſsimilatur, ſiue id referendum putes ad inflammatum animum vindictæ cupiditate, qui ex rubore & atrocitate vultus percipitur, ſiue ad tutelaria arma, quibus ex more vtebantur (vt diximus) & copioſiùs in ſequentibus explicabimus. Itaque Babylonij nimio capiendæ vrbis deſiderio incitati, & iræ atque grauiſsimæ

indignationis indicia certiſsima in vultu præ ſe ferentes partim lampadibus ſimiles erant, ſi vultus attendas, partim fulguribus ſi celeritatem,& ad capiēdam vrbem ſummam feſtinationem conſideres. Fulguribus concutitur aër,terra finditur,& quicunque videt grauiter perhorreſcit. His percutiuntur montes, his maria,his proceræ arbores,horum natura longè velociſſima. Apparet verò maximè horum celeritas,cùm supernè è nubibus decidunt. Satis poſſet hoc loco animus pius proſpicere,quanta ſit potentia ſummi Dei Niniuitis infenſi & inimici. Quemadmodū enim ſpiritu & flatu vehementiſsimo, repentino & violento & conflagrante igne, pro nuntiis vtitur(vt R.propheta inquit Pſal, 104.) Qui facit angelos ſuos ſpiritus &c. ita totam rerum naturam mutare,cum illi maximè fuerit collibitum,poteſt,& ex hominibus fulgetra facere, ſiue fulgura diſcurrentia. Tempeſtuoſum verò aerem,& deflagrantem ignem illius per omnia mandatum fuiſſe executa,tanquam arbitrio & ratione vterentur,legimus in hiſtoria geneſe. Horum enim impetu euerſa fuit funditus impiorum ciuitas Sodoma, Aegy-
ptio

ptiorum exercitus exagitatus,& aliæ inſigniores Dei vltiones perfectę. Rebus proinde inanimatis pro nunciis & legatis vtitur; per quos ſentẽtiam indignationis ſuæ, impiis denunciat: & ſe colentibus feriò ſuam declarat beneuolentiam. Nulli ergo mirum debeat videri, ſi ad deterrendos & exanimandos impios Aſſyrios,& cæteros omnes qui illi aduerſantur & repugnant, ex hominibus fulgetra faciat, & diſcurrentia ſumma celeritate fulgura. Quis, ſi rerum naturas attentiùs conſideret, credere poſsit immanem illam & truculentam belluam marinam, quam Cete appellamus, ſecurum hoſpitium præbuiſſe aliquando, iactato multis modis ac fugienti prophetæ? Et tamen videmus rerum naturis pugnantibus, hoſpitalẽ ſedem intra præcordia ipſa,& quaſi domeſticum vſum,& conſuetudinem præbuiſſe ad imperiũ Diuinũ. Sunt ſingula à ſummo rerũ artifice Deo ita in hominum vſus fabricata, vt tamen illius mãdata ſemper & iuſſa propriæ naturæ oblita, exequantur. Qui igitur ex flatibus vẽtorũ,& abſumente igne angelos facit & legatos ſtrenuos, qui in maria coniecto prophetæ liberale hoſpitiũ in vẽtre

Cete parauit, & inſigniores alias tota natura fecit mutationes, is inquam, cùm in Aſſyrios grauiter animaduertere decreuit, potuit Babyloniis, tantum ſplendoris, celeritatis, admirationis præbere, quantũ eſſet neceſſarium ad deterrendos homines impios. Poſſes nullo periculo locum accommodare Niniuitis hominibus. Nam cùm inter res confuſas & perturbatas omnino nullus eſſet conſilij locus, neque via vlla effugiendi periculum, illorum vultus in ruborem conuerſi: lampadibus ardentibus ſimiles erant & inſtar fulgurum per ciuitatem (conſilij inopes) decurrebãt. Sic ſolent homines miſeri, ciuitate capta ab hoſtibus, alius per vrbem curſitare relicta domo, alius alium ſciſcitari pauidus, autorem nuncij requirere. Nec pueros imprudentia, nec ſenes debilitas, non fœminas imbecillitas ſexus domi retinet: adeò ad omnem ætatem ſenſus mali penetrat. In foro ſolent coire, atque ibi perpeti nocte, publicam fortunam quęſtibus iterant. Alij fratres, alij filios aut parẽtes, cùm mortuos inuenerint, deflent miſerabiliter. Jam ſeipſos, iam patriam ipſam perituram conqueruntur. Contemplare obſecro, mẽteq;

collu

colluſtra Niniuitas,qui hac parte obſidionem haberent ante oculos ex illa verò fame,ſuperbóque hoſte premuntur: iam vrbis ruinam & incendia,iam omnium captiuitatem, miſerrimámque recordantes ſeruitutem,cùm nullum videãt auxilium ſupereſſe,nullos maiores,quorum virtute ſeruentur,quam poſsint rationem quietis habere? Nonne neceſſarium ſit inſtar fulgurum immoderatè agitari, & fluctuare? Nunquid licebit illis quieta aliquando mẽte conſiſtere? Igitur quoniam in tanta rerum perturbatione,nullus ſtatus quietus, aut placatus eſſe poterat, neque illis integrum eſſet,partem aliquam tẽporis,quietam & ſine labore traducere iure S.proph. Nahum fulgetris diſcurrẽtibus ſumma celeritate illos aſsimilat. Neque verò demirandum ſit, ſi viros Niniuitas in tantam rerum confuſionem adductos propheticus animus à longe contempletur. Nam ſolet ocioſa quies, & pernicioſa tranquillitas, quę ad perfruendas voluptates animos hominum ſolicitat(maximè ſi accedat ſumma diuitiarum copia & abundantia) in ſimiles difficultates,aliáſque lõgè maiores, ſceleratos homines conijcere. Nemo igno

rat quantam temporibus ſancti Noe mortalium generi cladem attulerit, quietus & ocioſus hominum ſtatus. Edebant omnes & bibebant, nubebant, nuptuíque tradebant. Cœperat omnium animos profundiſſima obliuio & lethargus, nemo erat qui ſiniſtri aliquid ſuſpicaretur, nemo qui non voluptatibus immerſus, tuta omnia & ſecura arbitraretur. Nulla tamen oratione conſequi quiſpiam poſsit, qui timores, quę perturbationes, quæ rerum conuerſio & confuſio quietũ illum & compoſitum rerum ſtatum, fuerat conſequuta. Quibus facilè cernitur graues iſtas formidines, & difficultates rerum, & animorũ agitationes, in quas viri Niniuitæ ſuo vitio incidêre, quæ à propheta eleganter deſcribũtur ab ocio & pernicioſa quiete fuiſſe profectas. Mihi verò probatur maximè ad ſplendorem armorum & vibratum in oculos Aſſyriorum lumen, & equorũ velocitatem, locus accõmodetur propheticus. Nã de cataphractis Babylonicis, & Perſicis, ſic proditum legimus ab Heliodôro lib. de rebus Aethiopicis 9. Armaturæ autẽ ratio talis eſt, Vir lectus & robore corporis præſtás: galeã ſumit cohærentẽ & compactã, ac faciem

eiem viri exactè,nõ ſecùs ac in perſonis videre eſt,exprimentem. Hac à vertice, vſq; ad collum totũ,præter oculos tranſpiciẽdi cauſa,tutus:dextram armat conto maiori quàm haſta. Siniſtra autem regendis habenis vacat: gladio verò ad latus ſuſpenſo, non tãtum pectus ſed totum etiam corpus lorica munitum habet. Et paulo procul, Conſimili autem apparatu muniũt equũ, pedes ocreis circum ligantes, & frontalibus caput prorſum operientes: à tergo verò ad ventrem circa vtrũq; latus tegmentum ferreis nexibus conſtans, ſuſpendẽtes, vt ſimul & armet, & propter interceptum vacuũ ſpatium, minimè impediat curſum. Sic inſtructus, & quaſi in armaturam iniectus, inſedit equo: nõ inſiliens ipſe, ſed aliis propter pondus ſuſtollentibus. Poſtquam autẽ pugnæ tempus aduenit, equo frenum remittens, & calcaribus concitans, omni in hoſtes impetu fertur: ita vt ferreus vir, aut ſtatua quædam maleis compacta moueri videatur. Lampadas itaque & fulgura cùm Sanctus Propheta commemorat, ad collucentia arma, & radios aduerſo ſole eiaculantia, referenda ſunt, vt in ſuperioribus dixi. Recordabitur fortium

ſuorum,ruēt in itineribus ſuis.Si locus Aſſyriis accommodetur in hunc ſenſum à nobis accipietur. Recordabitur Rex Sennacherib fortium ſuorum,aut ciuitas Niniues potiùs,vt illos ad tuenda mœnia mittat:corrueríntque in progreſſu,præ nimia imbecillitate,cùm ad murum feſtinabunt. Poteſt enim magnus ille Deus viros ad bellandum acres, & conſtantes,ac virtute fortitudinis ad tuendam rempublicā exaggeratos,infirmos facere, & timidos, & ad omnem hoſtium cōgreſſum pauentes: poteſt inertibus,& eis qui ſunt fracto animo atque remiſſo,tantum tribuere roboris & virtutis,vt omnes inimicorum impetus ſua virtute putet eſſe inferiores. Eſt enim excelſus animus & ad omnia pericula promptus:Dei ſummi beneficium, neque ſine ampliſsimo illius dono conſtare poſſit vnquam.Grauiter per Eſaiam prophetam comminatur aduerſus Iudæorum gētem ſuis temporibus fortiſsimā & pugnaciſsimam dicens. Erit fortitudo veſtra velut fauilla ſtupæ.Et cap.3.Deſcendent fortes eius & populus eius,& ſublimes,& lætari ſolitus ad eum. Quo loco eleganter oſtēdit proph.nullam eſſe citra Diuinum
auxi

auxilium & adminiculum, humani animi conſtantiam, quæ poſsit quempiam tueri! Cap.5. pollicetur, humiliaturum ſe, quaſi dicas, repreſſurum fortiſsimorum arrogãtiam. Apud Hieremiam prophetam vehementer hortatur, cap.7. ne fortis iactet fortitudinem ſuam, & roborem animi, aut celſitudinem, quæ niſi Deus annuerit ſimilis ſit fauillæ ſtupæ, vt Eſai. inquit. Inter cætera ſupplicia grauiſsima quæ olim genti Iſraeliticæ, & legis tranſgreſſoribus pollicebatur, illud tanquam omnium ſupremum, vltimo loco, poſt varias afflictiones & calamitates explicatas, appoſuit. Deuter.18. Dabit tibi Dominus cor pauidum & deficientes oculos, & animam conſumptã mœrore &c. Timebis nocte ac die & non credes vitæ tuæ. Et explicatiùs etiam de animo forti & infracto, bellicis in periculis. Deuter.20. ſi exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equitatus & currus, nõ timebis eos &c. Quo pacto dic mihi niſi hæc magnitudo & elatio excelſi atq; præſtantis animi, ſummi Dei beneficium eſſet, nobilis ille dux Gedeon, haud multum inter populares ſuos celebris, repentè publicæ libertatis aſſertor, exiſtere potuiſſet?

Refert hiſtoria ſacra, poſt acceptum etiã Diuinum oraculum, cunctatiorem eum fuiſſe ad credẽdum, tum quòd infirmæ adhuc ætati parum fideret, tum etiam quòd procul à ſuis abeſſet contribulibus. Itaque cùm decem millibus armatorum, iuuenis fretus ad Iordanem contenderet, caſtríſq; conſtitutis, & munitis cum animo reputaret ſuo, tenues habere vires, ad aggrediendam rem tantam, & hoſtem potentiſsimũ profligandum: minus quidẽ ac minus præſentibus opibus fidere cœpit. Cernabat in ſuis neque dubia, neque tacita pœnitentiæ ſigna atq; formidinis. Vt ergo cætera prætermittens libens, quæ legentibus hiſtoriã ſacram ſunt expoſita, paucis verbis copias adhortatus arma capere iubet, & facibus, & clamore horrendo, impetum in hoſtiũ tabernacula facit. Multi itaque dextra faces quatiẽtes, ſiniſtra, cornua & lituos pro tubis inflantes, caſtra vno tempore nouo & inaudito ſtratagemate, inuadunt: hoſtémque ſomno grauatum ſtrepitu & clamore excutiunt. Inde cùm omnia flammis collucerent, terribiles ſonitus, horrendæq; voces, aures circum ſonarent, veluti in furorem verſi hoſtes, acceptis temerè armis

in ſe

in ſe ruunt. Pauci omnino Iudæorum, armis fuere conſumpti, plurimi autem hoſtium, quia ex colluuione multarum gentium conſtabat exercitus, neq; lingua neq; ſignis multum inter ſe noti, mutuis vulneribus occubuere. Exige ſi velis celebre hoc facinus & admirandum omnino ad rationis humanæ libram: ſtultum prorſum videbitur, iuuenem bellicis rebus nõ adeò aſſuetum exiguis copiis inſtructum, nullis penè ſuffultum opibus cum hoſte lõgè potentiſsimo congredi. Quis potuit vel ſuperbos & arrogantes animos, & ad omnia pericula promptos frangere, ſubitò imminuere, & debilitare, grauíq; pauore percutere: vel fractos prorſum, & timore perculſos, præter omnẽ humanam opinionẽ ſtrenuos facere & acres, adeò vt rem à ſeculo nunquã auditam aggrederentur, & ad centum viginti millia hominũ vna nocte proſtrarent? Cui ergo mirum videri poſsit, Aſſyrios & Niniuitas (homines alioqui fortes & magnanimos, qui conſtanter ſæpè & excellẽter multa fuerint aggreſsi) ignauia, timiditate, & noua inertia occupatos, neque defendere mœnia, neque tueri patriã, neque hoſtes ab obſidione, & oppugna

gna

gnatione ciuitatis arcere potuiſſe: contra verò Babylonios robur animi & præſentiam declarauiſſe ſuſceptis magnis periculis & laboribus? Quemadmodum enim hi præſens ſemper Numen habuêre qui animos addebat, ſuppeditabat vires & robur, ita etiam & illi infenſum per omnia, & hoſtem habuêre Deum, qui nullo labore poſſit conſtantes viros & ſtrenuos: timidos & ignauos facere, inertes & trepidantes, ſingulis in rebus, valētes reddere & inuictos. Hieronymus ſic locum vertit, Recordabitur fortium ſuorum, præparabitur vmbraculum. Quæ ſi de Babyloniis velis dicta accipere, ita erit explicandum oraculum, Recordabitur Nabuchodonoſor fortium ſuorum, incitabit illos ad bellandū, tantáque frequentia in itinere commiſcebuntur, vt multi impio impetu corruant. Præparabitur vmbraculum &c. Quæ de teſtudinibus, aut arietibus, aut vineis intelligenda arbitror. Præparabitur (inquit) teſtudo ſub qua aries deliteſcit, machina bellica ad quatiendos muros aptiſſima. Rab. D. Kimhi ad machinam refert, locum, quæ è pellibus, tabulíſque fieret, & foſsionibus, qua facilè mili-
tes,

tes,iniurias omnes incommodáque arcebant,ſiue è mœnibus ſaxa iniecta,ſiue miſſilia quæque, vt ſpicula,ſagittas &c. Hanc fortaſſe machinam Romani vineas appellabant. Lignis compactum erat inſtrumentum, latum pedibus octo, altum ſeptem, longum ſexdecim, tectum duplici ligno, cratibúſque contextum: latera ſepiebantur vimine,ne ſaxorum ac telorum impetu frangeretur,extrinſecus, ne abſumeretur igne,crudis ac recentibus coriis integebatur. Multa verò de ariete apud Tertulianum habes lib. de Pallio. Nonne vides hoc loco indulgentiſsimum patrem grauiori adhuc comminatione, Aſſyrios tãquam chariſsimos filios compeſcere, ne leuiorem aliquam plagam (ſi pergant in ſceleribus) accipiant? Non cupit ille peccantes homines perdere,neque vt præceptor ſolet liberalibus ſtudiis indignus, iraſcitur, qui diſcipulos excarnificat, ſi memoria illis non conſtiterit, aut ſi parum agilis in legendo oculus *hæſerit*:ſed terrore & admonitione & verecundia impios homines emendare cupit. Scit optimè nõ eſſe hominis naturæ & ingenio conſentaneum grauius atque durius illi imperare, quàm

quã animantibus mutis. Neq; enim equũ domandi peritus magiſter crebris verberibus exterret:nam fieret formidoloſus,& contumax,niſi interdum flagello excuſſo terreret, interdum tactu blandiente permulceret.Contunderet fortaſſe crebrioribus plagis illius animum,& quidquid eſſet indolis, comminueretur trepidatione degeneri. Nullum eſt animal moroſius, nullum maiori arte tractandum quàm homo.Scit ſummus ille animorum medicus, frequenter illi eſſe parcendum, nonnunquàm verò plagæ & ſupplicia oſtendenda potiùs,quàm inferenda, neque ſemper in illum exercendam iram. Frequentiùs eam ob cauſam, illius morbis medetur quàm iraſcitur: quemadmodum & præſenti oraculo liceat proſpicere.Sunt enim iſtiuſmodi comminationes tanquam acerba medicamenta Aſſyriorum morbis curandis adhibita.Mali enim medici eſt deſperare ne curet.Itaque Deus cui omnium ſalus & vita curæ eſt,non illico ſpem proiicit, vt malus & ineruditus medicus ſolet,quamuis videatur interdum mortifera ſigna pronunciare. Aliis morbum exprobrat,quoſdam morbi curatione decipit,

pit, cùm videt melius ſe peccatorem poſſe ſanare remediis fallentibus. Quæ omnia diligens lector facilè deprehendere poſſit, grauiſsimis his comminationibus.

Portæ fluuiorum apertæ ſunt, & templum ad ſolum dirutum eſt, & miles captiuus abductus eſt, & ancillæ eius minabantur gementes, vt columbæ murmurantes in cordibus ſuis.

Diuus Hieronymus arbitratur portas fluuiorum dictas, quòd inſtar fluminum pleno alueo decurrentium, ciuium frequentiam in portis haberet Niniues. Neque omni vacat myſterio, quòd hominum multitudinem numeroſam, propheta meminit, illámque plenis fluminibus aſsimilat. Nam ſolent in arcanis literis, magnæ ciuitates, & diuitiarum copia & hominum frequentia nobiles, & inſignes, male vt in plurimum audire. Vix comperias veteres illos prophetas, quorum ſcripta ad nos peruenêre, grauem aliquam prophetiam, duram & acerbam in humile oppidulum, & locum aliquem ignobilem, & obſcurũ denotaſſe. Fit enim vt in plurimũ, huiuſmodi ciuitatũ mores,

Cete parauit, & inſigniores alias tota natura fecit mutationes, is inquam, cùm in Aſſyrios grauiter animaduertere decreuit, potuit Babyloniis, tantum ſplendoris, celeritatis, admirationis præbere, quantū eſſet neceſſarium ad deterrendos homines impios. Poſſes nullo periculo locum accommodare Niniuitis hominibus. Nam cùm inter res confuſas & perturbatas omnino nullus eſſet conſilij locus, neque via vlla effugiendi periculum, illorum vultus in ruborem conuerſi: lampadibus ardentibus ſimiles erant & inſtar fulgurum per ciuitatem (conſilij inopes) decurrebāt. Sic ſolent homines miſeri, ciuitate capta ab hoſtibus, alius per vrbem curſitare relicta domo, alius alium ſciſcitari pauidus, autorem nuncij requirere. Nec pueros imprudentia, nec ſenes debilitas, non fœminas imbecillitas ſexus domi retinet: adeò ad omnem ætatem ſenſus mali penetrat. In foro ſolent coire, atque ibi perpeti nocte, publicam fortunam quęſtibus iterant. Alij fratres, alij filios aut parētes, cùm mortuos inuenerint, deflent miſerabiliter. Jam ſeipſos, iam patriam ipſam perituram conqueruntur. Contemplare obſecro, mētéq;

collu

colluſtra Niniuitas,qui hac parte obſidio-nem haberent ante oculos ex illa verò fa-me,ſuperbóque hoſte premuntur: iam vr bis ruinam & incendia,iam omnium ca-ptiuitatem, miſerrimámque recordantes ſeruitutem,cùm nullum videāt auxilium ſupereſſe,nullos maiores,quorum virtute ſeruentur,quam poſsint rationem quietis habere?Nonne neceſſarium ſit inſtar ful-gurum immoderatè agitari, & fluctuare? Nunquid licebit illis quieta aliquando mē te conſiſtere? Igitur quoniam in tanta re-rum perturbatione,nullus ſtatus quietus, aut placatus eſſe poterat, neque illis inte-grum eſſet,partem aliquam tēporis,quie-tam & ſine labore traducere iure S.proph. Nahum fulgetris diſcurrētibus ſumma ce leritate illos aſsimilat. Neque verò demi-randum ſit, ſi viros Niniuitas in tantam re rum confuſionem adductos propheticus animus à longe contempletur. Nam ſolet ocioſa quies, & pernicioſa tranquillitas, quę ad perfruendas voluptates animos ho minum ſolicitat(maximè ſi accedat ſum-ma diuitiarum copia & abundantia) in ſi-miles difficultates,aliáſque lōgè maiores, ſceleratos homines conijcere. Nemo igno

rat quantam temporibus ſancti Noe mortalium generi cladem attulerit, quietus & ocioſus hominum ſtatus. Edebant omnes & bibebant, nubebant, nuptuíque tradebant. Cœperat omnium animos profundiſſima obliuio & lethargus, nemo erat qui ſiniſtri aliquid ſuſpicaretur, nemo qui non voluptatibus immerſus, tuta omnia & ſecura arbitraretur. Nulla tamen oratione conſequi quiſpiam poſsit, qui timores, quę perturbationes, quæ rerum conuerſio & confuſio quietũ illum & compoſitum rerum ſtatum, fuerat conſequuta. Quibus facilè cernitur graues iſtas formidines, & difficultates rerum, & animorũ agitationes, in quas viri Niniuitæ ſuo vitio incidêre, quæ à propheta eleganter deſcribũtur ab ocio & pernicioſa quiete fuiſſe profectas. Mihi verò probatur maximè ad ſplendorem armorum & vibratum in oculos Aſſyriorum lumen, & equorũ velocitatem, locus accõmodetur propheticus. Nã de cataphractis Babylonicis, & Perſicis, ſic proditum legimus ab Heliodôro lib. de rebus Aethiopicis 9. Armaturæ autẽ ratio talis eſt, Vir lectus & robore corporis præſtãs: galeã ſumit cohærentẽ & compactã, ac faciem

ciem viti exactè, nõ ſecùs ac in perſonis videre eſt, exprimentem. Hac à vertice, vſq; ad collum totũ, præter oculos tranſpiciẽdi cauſa, tutus: dextram armat conto maiori quàm haſta. Siniſtra autem regendis habenis vacat: gladio verò ad latus ſuſpenſo, non tãtum pectus ſed totum etiam corpus lorica munitum habet. Et paulo procul, Conſimili autem apparatu muniũt equũ, pedes ocreis circum ligantes, & frontalibus caput prorſum operientes: à tergo verò ad ventrem circa vtrũq; latus tegmentum ferreis nexibus conſtans, ſuſpendẽtes, vt ſimul & armet, & propter interceptum vacuũ ſpatium, minimè impediat curſum. Sic inſtructus, & quaſi in armaturam iniectus, inſedit equo: nõ inſiliens ipſe, ſed aliis propter pondus ſuſtollentibus. Poſtquam autẽ pugnæ tempus aduenit, equo fręnum remittens, & calcaribus concitans, omni in hoſtes impetu fertur: ita vt ferreus vir, aut ſtatua quædam maleis compacta moueri videatur. Lampadas itaque & fulgura cùm Sanctus Propheta commemorat, ad collucentia arma, & radios aduerſo ſole eiaculantia, referenda ſunt, vt in ſuperioribus dixi. Recordabitur fortium

ſuorum,ruēt in itineribus ſuis.Si locus Aſſyriis accommodetur in hunc ſenſum à nobis accipietur. Recordabitur Rex Sennacherib fortium ſuorum,aut ciuitas Niniues potiùs,vt illos ad tuenda mœnia mittat:corruerintque in progreſſu,præ nimia imbecillitate,cùm ad murum feſtinabunt. Poteſt enim magnus ille Deus viros ad bellandum acres, & conſtantes,ac virtute fortitudinis ad tuendam rempublicā exaggeratos,infirmos facere, & timidos, & ad omnem hoſtium cōgreſſum pauentes: poteſt inertibus,& eis qui ſunt fracto animo atque remiſſo,tantum tribuere roboris & virtutis,vt omnes inimicorum impetus ſua virtute putet eſſe inferiores. Eſt enim excelſus animus & ad omnia pericula promptus:Dei ſummi beneficium, neque ſine ampliſsimo illius dono conſtare poſſit vnquam.Grauiter per Eſaiam prophetam comminatur aduerſus Iudæorum gētem ſuis temporibus fortiſsimā & pugnaciſsimam dicens. Erit fortitudo veſtra velut fauilla ſtupæ.Et cap.3.Deſcendent fortes eius & populus eius,& ſublimes,& lætari ſolitus ad eum. Quo loco eleganter oſtēdit proph.nullam eſſe citra Diuinum auxi

auxilium & adminiculum, humani animi conſtantiam,quæ poſsit quempiam tueri? Cap.5.pollicetur, humiliaturum ſe, quaſi dicas,repreſſurum fortiſsimorum arrogãtiam. Apud Hieremiam prophetam vehementer hortatur,cap.7.ne fortis iactet fortitudinem ſuam,& roborem animi,aut celſitudinem,quæ niſi Deus annuerit ſimilis ſit fauillæ ſtupæ,vt Eſai.inquit. Inter cætera ſupplicia grauiſsima quæ olim genti Iſraeliticæ,& legis tranſgreſſoribus pollicebatur,illud tanquam omnium ſupremum, vltimo loco,poſt varias afflictiones & calamitates explicatas, appoſuit.Deuter.18. Dabit tibi Dominus cor pauidum & deficientes oculos,& animam conſumptã mœrore &c. Timebis nocte ac die & non credes vitæ tuæ. Et explicatiùs etiam de animo forti & infracto, bellicis in periculis. Deuter.20.ſi exieris ad bellum contra hoſtes tuos,& videris equitatus & currus,nõ timebis eos &c. Quo pacto dic mihi niſi hæc magnitudo & elatio excelſi atq; præſtantis animi,ſummi Dei beneficium eſſet, nobilis ille dux Gedeon,haud multum inter populares ſuos celebris,repentè publicæ libertatis aſſertor, exiſtere potuiſſet?

Refert hiſtoria ſacra, poſt acceptum etiã Diuinum oraculum, cunctatiorem eum fuiſſe ad credẽdum, tum quòd infirmæ adhuc ætati parum fideret, tum etiam quòd procul à ſuis abeſſet contribulibus. Itaque cùm decem millibus armatorum, iuuenis fretus ad Iordanem contenderet, caſtríſq; conſtitutis, & munitis cùm animo reputaret ſuo, tenues habere vires, ad aggrediendam rem tantam, & hoſtem potentiſsimũ profligandum: minus quidẽ ac minus præſentibus opibus fidere cœpit. Cernabat in ſuis neque dubia, neque tacita pœnitentiæ ſigna atq; formidinis. Vt ergo cætera prætermittens libens, quæ legentibus hiſtoriã ſacram ſunt expoſita, paucis verbis copias adhortatus arma capere iubet, & facibus, & clamore horrendo, impetum in hoſtiũ tabernacula facit. Multi itaque dextra faces quatiẽtes, ſiniſtra, cornua & lituos pro tubis inflantes, caſtra vno tempore nouo & inaudito ſtratagemate, inuadunt: hoſtémque ſomno grâuatum ſtrepitu & clamore excutiunt. Inde cùm omnia flammis collucerent, terribiles ſonitus, horrendæq; voces, aures circum ſonarent, veluti in furorem verſi hoſtes, acceptis temerè armis in ſe

in ſe ruunt. Pauci omnino Iudæorum,armis fuere conſumpti, plurimi autem hoſtium,quia ex colluuione multarum gentium conſtabat exercitus,neq; lingua neq; ſignis multum inter ſe noti,mutuis vulneribus occubuere. Exige ſi velis celebre hoc facinus & admirandum omnino ad rationis humanæ libram : ſtultum prorſum videbitur,iuuenem bellicis rebus nõ adeò aſſuetum exiguis copiis inſtructum,nullis penè ſuffultum opibus cum hoſte lõgè potentiſsimo congredi. Quis potuit vel ſuperbos & arrogantes animos,& ad omnia pericula promptos frangere,ſubitò imminuere,& debilitare,grauíq; pauore percutere: vel fractos prorſum,& timore perculſos,præter omnẽ humanam opinionẽ ſtrenuos facere & acres,adeò vt rem à ſeculo nunquã auditam aggrederentur,& ad centum viginti millia hominũ vna nocte proſtrarent?Cui ergo mirum videri poſsit,Aſſyrios & Niniuitas(homines alioqui fortes & magnanimos,qui conſtanter ſæpè & excellẽter multa fuerint aggreſsi)ignauia, timiditate,& noua inertia occupatos,neque defendere mœnia, neque tueri patriã,neque hoſtes ab obſidione,& oppugna

gnatione ciuitatis arcere potuiſſe: contra verò Babylonios robur animi & præſentiam declarauiſſe ſuſceptis magnis periculis & laboribus? Quemadmodum enim hi præſens ſemper Numen habuêre qui animos addebat, ſuppeditabat vires & robur, ita etiam & illi infenſum per omnia, & hoſtem habuêre Deum, qui nullo labore poſſit conſtantes viros & ſtrenuos: timidos & ignauos facere, inertes & trepidantes; ſingulis in rebus, valẽtes reddere & inuictos. Hieronymus ſic locum vertit, Recordabitur fortium ſuorum, præparabitur vmbraculum. Quæ ſi de Babyloniis velis dicta accipere, ita erit explicandum oraculum, Recordabitur Nabuchodonoſor fortium ſuorum, incitabit illos ad bellandũ, tantáque frequentia in itinere commiſcebuntur, vt multi impio impetu corruant. Præparabitur vmbraculum &c. Quæ de teſtudinibus, aut arietibus, aut vineis intelligenda arbitror. Præparabitur (inquit) teſtudo ſub qua aries delitefcit, machina bellica ad quatiendos muros aptiſſima. Rab. D. Kimhi ad machinam refert, locum, quæ è pellibus, tabulíſque fieret, & foſsionibus, qua facilè milites,

tes, iniurias omnes incommodáque arcebant, ſiue è mœnibus ſaxa iniecta, ſiue miſſilia quæque, vt ſpicula, ſagittas &c. Hanc fortaſſe machinam Romani vineas appellabant. Lignis compactum erat instrumentum, latum pedibus octo, altum ſeptem, longum ſexdecim, tectum duplici ligno, cratibúſque contextum: latera ſepiebantur vimine, ne ſaxorum ac telorum impetu frangeretur, extrinſecus, ne abſumeretur igne, crudis ac recentibus coriis integebatur. Multa verò de ariete apud Tertulianum habes lib. de Pallio. Nonne vides hoc loco indulgentiſsimum patrem grauiori adhuc comminatione, Aſſyrios tãquam chariſsimos filios compeſcere, ne leuiorem aliquam plagam (ſi pergant in ſceleribus) accipiant? Non cupit ille peccantes homines perdere, neque vt præceptor ſolet liberalibus ſtudiis indignus, iraſcitur, qui diſcipulos excarnificat, ſi memoria illis non conſtiterit, aut ſi parum agilis in legendo oculus hæſerit: ſed terrore & admonitione & verecundia impios homines emendare cupit. Scit optimè nõ eſſe hominis naturæ & ingenio conſentaneum grauius atque durius illi imperare, quàm

pit, cùm videt melius ſe peccatorem poſſe ſanare remediis fallentibus. Quæ omnia diligens lector facilè deprehendere poſsit, grauiſsimis his comminationibus.

Portæ fluuiorum apertæ ſunt, & templum ad ſolum dirutum eſt, & miles captiuus abductus eſt, & ancillæ eius minabantur gementes, vt columbæ murmurantes in cordibus ſuis.

Diuus Hieronymus arbitratur portas fluuiorum dictas, quòd inſtar fluminum pleno alueo decurrentium, ciuium frequentiam in portis haberet Niniues. Neque omni vacat myſterio, quòd hominum multitudinem numeroſam, propheta meminit, illámque plenis fluminibus aſsimilat. Nam ſolent in arcanis literis, magnæ ciuitates, & diuitiarum copia & hominum frequentia nobiles, & inſignes, male vt in plurimum audire. Vix comperias veteres illos prophetas, quorum ſcripta ad nos peruenêre, grauem aliquam prophetiam, duram & acerbam in humile oppidulum, & locum aliquem ignobilem, & obſcurũ denotaſſe. Fit enim vt in plurimũ, huiuſmodi ciuitatũ mores,

vbi magna eſt hominum aſſiduitas & cele britas longè eſſe corruptiores: quod vndique omni ex gente in eas ciuitates, non tãtum conſuetudines, exercitationes, vſúſq; viuendi, ſed & vitia ipſa, multo magis ſoleant importari. His in locis viget libidinis omne genus, hîc regnant cupiditates omnes effrenatæ, & omnes animorum ac corporum impetus, qui homines ad omne facinus ſuſcipiendum impellunt. Hîc nihil vnquàm nefas; neque in facinore, neque in libidine habetur, omnia ex audacia & ſumma petulantia fiunt. Eſt enim opulentiæ comes tumor animi, ac proinde ferocitas: opes verò gulæ ſtudium, & luxus libidinẽ trahere ſolent. Atque eo fit vt priùs ei illi prophetæ, graues, & infauſtas prophetias, omnia vaticinia dura atque aſpera in eas ſemper ciuitates explicauerint, & tanquã orationum fulmina contorſerint, quæ vt opibus & diuitiis, ita etiam numeroſa hominum multitudine abundarent. Nobilis Theologus Eſaias Babylonem, Damaſcũ, Hieruſalem, cæteráſque inſignes ciuitates & hominum frequentia nobiles, grauiter reprehendit, mores exagitat, & illis infœlices rerum exitus prędicit. Legimus apud

Marcum

Marcum Euangeliſtam cùm Chriſtus R. N. hominem dæmonis violentia preſſum, & miſerabiliter vexatũ, curauiſſet, dixiſſe quoſdam: In Belzebub principe dęmoniorum eiicit dæmonia. Et paulò procul, Qui autem deſcenderant &c. erant ex Hieruſalem. Tales enim homines ſolent eæ ciuitates gignere, Diuinarum rerum contẽmptores, pietatis operibus per omnia infenſos, ac hoſtili ſemper animo & inimico aduerſum virtutem depugnantes. Cùm ergo portas Niniues plenis flùminibus aſsimilat propheta, propter ingẽtem hominum multitudinem & frequentiam, veterẽ prophetarum conſuetudinem & morẽ, oportet mẽte retineas, qui aduerſum iſtiuſmodi ciuitates, nunquam non depugnare ſolent. Poſsis vaticinij ſenſum ad ſitum vrbis referre. Erat enim ciuitas Niniues ad ripas Tygridis ædificata, capta verò fuit à Babylonijs ea ex parte qua amnibus munita erat: vt qua parte clauſa & inacceſsibilis videbatur hoſtibus aditum præberet. Nouerat S. Nahum ſacris edoctus literis nulla humana præſidia ab imminenti exitio liberare quempiam poſſe, ciuitatémq; illam omni eſſe periculo maiorem, omni-

bus humanis caſibus ſuperiorem, quæ ciues habet purè atque ſincere Deum colentes, qui omnem ſuam fiduciam in Deo collocarunt. Regius Proph. Dauid Pſal. 124. eam ciuitatem tutā ab incurſionibus hoſtium arbitratur, quæ omnibus humanis præſidiis diffiſa Deum tantùm protectorem habet, & defenſorem. Qui confidunt in Domino ſicut mons Syon, non commouebitur in æternum qui habitat in Hieruſalem. Cum enim ciuitas aliqua ſolida fide Deo nititur, non magis nutare poterit quam mons ipſe Syon qui in ſecula perſtat. Vrbem Hieruſalem montes cingunt & muniunt: ſic Deus cingit & munit populum ſuum, vſque in ſempiternum, quæ ſola vera eſt protectionis & ſecuritatis ratio. Et Pſal. 123. Sancti homines ſola Diuina ope ſe ereptos gloriantur, omni humano præſidio deſtitutos. Flagrāte enim impiorum hominum ira, & indignatione, ita vt pios quoſque ad vnum viderentur deuoraturi, irruēte valido perſequutionum flumine quod omnes ſimul conuoluere, & extinguere vno impetu potuiſſet, præſentiſsimam Dei opem, qua ſe ſeruatos gloriantur, nouo Carminis apparatu celebrant

brant dicentes. Niſi quia Dominus erat in nobis dicat nūc Iſrael, niſi quia Dominus erat in nobis. Ac deinde cōmemorat deuorantes hoſtes, & flumina magno impetu præcipitata, & laqueos omnis generis ad capiendos homines probos, & iuſtitiæ cultores, extenſos. Poſtremò tandē vt oſtenderet in Deo tantū vnicum eſſe ac certiſsimum præſidiū, qui vbi nullæ ſufficiant humanę vires, omni ſoleat periculo liberare: cætera omnia munitionum genera, ac defenſionum quibus ſtulti homines frequenter nituntur, nunquam ſatis tuta aut ſecura eſſe, adiecit, Adiutoriū noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. Non potuere Niniuitis ſalutem afferre, neq; impetū hoſtis arcere Fluuiorum portæ, id eſt, ciuitatis mœnia aquis munita atque defenſa, neq; potuit Babyloniis locus clauſus eſſe & inacceſſus: his, fauente Numine, illos verò inimico animo perſequēte, quoniam omni in negotio, ac re aggredienda, eos ſemper ſuperiores eſſe oportet & victores qui Deum habent patronum, quos ipſe in fidem ſuā receperit. Celebre eſt in literis arcanis nihil magis ex animo Deum Opt. M. odiſſe, nihil illi diſplicere

magis,quàm carnis omnia præſidia, quibus ſe tutam ac ſecuram arbitratur:cõtra verò nullis rebus proſpicere maiori cura atque diligentia,quàm illis quæ omni tutelæ ac præſidij ratione videntur vacuæ. Per Sophoniam prophetam cap.1.diem tubæ & clangoris,hoc eſt luctus atque mœſtitiæ denunciare iubet per ciuitates munitas. Per Ezechiel cap.36.Ciuitates munitas clauſas,ſecuras,ſuffoſſas atque deſertas fore oſtendit. Per Eſaiam cap.2.Oculos ſublimes deprimendos,omnem hominum altitudinem,ideſt,arrogantiã & fauſtum incuruandum & ad humum detrahendum, omnes cedros Libani ſublimes & erectas,omnes quercus Baſan,& excelſos montes,omnes eleuatos colles,complanãdos,omnem denique turrim excelſam, & omnem murum munitum fore diruendum:vt ſimul & carnis omnes affectus & incredibilẽ illius inſolentiam,omnia præſidia vaniſsima,quibus ſtultè nititur,labefactãda intelligas. Quemadmodum enim Diuina virtus & potentia humilia atque contempta,nulliúſque reſpectus homines, erigendo mortalibus ſe declarare ſolet,ſic etiam & quæ magna videntur & ſplẽdida,

quæ

quæ æterna, tuta, ſecura funditus deuaſtādo, ſummum in res omnes imperium manifeſtat. Hanc Diuinæ virtutis declarandę geminam rationem, paucisſimis verbis ſanctisſima virgo complexa fuit, celebri illo carmine, quo Diuina in ſe beneficia cœlitus collata, illuſtrabat. Depoſuit potētes de ſede & exaltauit humiles. Eſuriētes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Hoc ab exorto mūdo Diuinæ ſemper fuit mentis conſilium, vt quæ ſua magnitudine, excellentia, vi, hominibus vel voluptatem afferrent, vel oblectamentum, vel admirationis, vel malè fidæ ſecuritatis, inania eſſe ac vanitatis plena oſtenderet. Cōtrà, quæ exigua, quæ obſcura, quæ imbecilla, quæ omni ratione tutelæ vacua, hęc fortisſima, ac potentisſima declararet. Vt hac veluti rerum & conditionum inſigni mutatione, ſapientiam omnem humanā, oſtēdat eſſe ſtultitiam, potentiam verò infirmitatem, & imbecillitatem poſtremam. Et templum ad ſolum dirutū eſt. Heb. ſic habent. וְהַהֵיכָל נָמוֹג hoc eſt, iuxta Rab. Dauid ſententiam. Et palatium vtiq; Regium dirutum eſt. Sic Diuina prouidētia, quæ ſapienter ac iuſtè omnia moderatur,

ſingula diſponebat, vt capta impiorum ci uitate ab hoſtibus in Regium palatium, primus Babyloniorum impetus atque incurſus fierēt. Inde enim ciuitatis perditio, & interitus auſpicari debuit, vnde impietatis omnis & flagitij ſeminaria in populum deriuarentur: vbi princeps & reipub. moderator habitaſſet: qui cùm cæteros omnes debuiſſet in officio retinere, & in ſtu dium virtutis incitare, & ad omnia pietatis opera animos inflammare ciuium, ſuo exemplo, in omne ſcelus pertraxit, & ad ſu ſcipiendum genus omne flagitij, animauit impudenter. Sic vt in plurimum continge re videmus, vt cùm in male adminiſtrata Repub. Diuinum nomen ab omnibus dila ceretur, in aula autem Regia ludibrio ſem per ſit, & contemptui, vt pote quæ ſcelerū omnium atque impietatum ſit officina. Hic ſolēt latitare fures, ſerui luxuriari, pa raſiti ligurire, vulgus hærere, omnium denique flagitiorū hic inuenire liceat capacem locum. Cùm vna prætereà ſit domorū lèx atq; vrbiū, ſi ſúmmus Deus pœnas repoſcit debitas, ab impiorū ciuitate, quæ in aliorum exemplum conſtituta eſt, qualis erat Niniues, in eam domum primum

decla

declararet ſuæ iuſticię exemplum, neceſſarium eſt, in qua virtutis imago, ita elucere debuit, vt ſuo ſplendore & admiratione, aliorum animos raperet & afficeret. Sanctus proph. Hieremias cap. 39. cùm ſanctæ ciuitatis Hieruſalem excidium explicaret, domum Regis primò igne abſumptã, deinde ciuium ædes ſuccenſas dixit. Succenderunt (inquit) Chaldæi domum Regis, ac domum vulgi. Cap. verò 52. cùm de ea clade quam Nabuzardam Hieroſolymitanis intulit, diſſereret, in hunc modum aiebat. Venit Nabuzardam & incendit domum Domini, & domum Regis Hieruſalem, & omnem domum magnam igne combuſsit. Primò templum fuit deuaſtatum atque dirutum, quod certiſsimum eſſet religionis ac pietatis domicilium, qua ſublata nihil in ciuitate reliquum erat, quod Deum potuiſſet in amicitia Solymorum retinere. Deinde verò domus Regia primas ſentit Diuinæ indignationis flammas, propter rationes à nobis in ſuperioribus adductas. Neq; ſatis preterea Deo probantur, quemadmodum in Arcanis eſt literis expreſsũ ædes magnificæ & domus amplæ & operoſę. Nã latiſsimę habitationes,

quales ſolent eſſe Regiæ,tenues homines & exiguos, propriis domibus exturbare ſolent. Eſaias proph.cap.5.grauiter & acerbè inuehitur in homines diuites & opulentos,qui ad amplificãdam dignitatem,proprias ædes ſine vllo aut fine, aut termino dilatarent. Veh,qui cõiungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis.Hieremias 22.cap. Veh,qui ædificat domum ſuã in iniuſtitia,& domum ſuam non in iudicio. Animum ſuum opprimet fruſtra, & mercedem ſuam non reddet ei vſq; ad terminum loci. Nunquid vos ſoli habitatis in terra, quæ omnibus hominibus in poſſeſſionem data eſt? Qui dicit,ædificabo mihi domum latam, & cœnacula ſpacioſa:qui aperit ſibi feneſtras, & facit laquearia cedrina,pingítq; ſinopide. Sunt hæc omnia ſummæ auaritiæ commenta,non ad tuendam vitam excogitata,ſed ad deuorandũ minorum opes cupiditate inexplebili. Benè Diogenes(vt cætera omnia)auaritiam eſſe omnium vitiorum Metropolim. Neque enim vllum eſt officium tam ſanctum atque ſolenne,quod non auaritia comminuere atque violare poſsit. Hoc tetrum facinus,& inflammata cupiditas,deuorandi

alio

aliorum bona, quæ ex luxurie tanquam ex parente naſcitur, inſignes ædes & nobi les ſtructuras, tanquam trophea vitiorum omnium in ciuitate erigit, in argumẽtum profligatæ virtutis, ac ſublatæ pietatis. Hinc etiã naſcitur (vt in ſuperioribus fuit à nobis explicatum) pernicioſa quædam ſecuritas quam ſtulta caro ſibi pollicetur, ab ingenti ſtudio ædificandarum ædium, & amplificandi & muniendi domos, dum inter immenſa & intolerabilia ædificia, quietam ſibi vitam ſtultè promittit, & extra omne periculum, & fortunæ iactationem, poſitam. Contrà verò ſummus Deus ſupinis Regibus, & oſcitantibus, & inter ædificationes ampliſsimas tanquam fœlices & beatos ſe exiſtimantibus, frequẽter ſolet declarare, nullis ſe egere ſcalis, ad apprehendenda turrium faſtigia, neque vllũ ſibi locum munitum eſſe aut clauſum, ſine teſtudine & ariete poſſe ingentes ædificationum moles ſubuertere. Nullam nos in hac vita ciuitatem habere manẽtem proditum eſt à Pau. Apoſtolo, & futuram ſemper inquirendam ingenti ſtudio. Hãc vtique curam & diligentiam videntur ablegaſſe prorſum, qui quaſi in domo propria,

lis poeta, Non ſic excubiæ, aut circunſtantia pila, vt tutatur amor. Apud Germanos & Scythas olim, nullæ aliæ fuerũt opes ad tuenda ampliſsima Regna, quàm populorum amor. Stulta proinde & impia mihi videtur illorum vox, qui dicũt omnia in pecunia, & opibus, & armatorum multitudine conſtituta eſſe. Neque enim arma (vt dixit ille) præſidia Regni ſunt, ſed amici. Iure ſententia illa Agaſiclis Lacedæmoniorum Regis laudatur: ſi quiſpiam ſubditis, vt pater filiis imperaret, Rempub. poſſe ſine ſatellitio adminiſtrare. Illam verò tantum firmam eſſe, certiſsimámque cuſtodiam, quæ ex Numinis fauore naſcitur, cætera omnia eſſe vanitatis poſtremæ plena, innumeris penè locis cecinit S. Dauid, cecinere reliqui vates. Non multorum amorem & beneuolentiam, non opes aut pecunias, non conſtipatorum militũ multitudinem, non ferrum, aut arma tutos homines, aut ſecuros reddere. Hinc S. Dauid Deum Opt. M. frequenter appellat ſcutũ, loricam, refugium, robur, potentiam, virtutem. Neque ſe impetum hoſtium formidare, aut expaueſcere, tali munitum cuſtodia. Nullam extra Deum ſalutis, aut ſecu-

rita

ritatis partẽ mortales inuenire poſſe. Denique quã ſtulti Reges ſibi quietem & ſecuritatem polliceri ſolent, armatorũ militum copia, ſtultè confidentes, egregius ille princeps in vno Deo. bene collocatã arbitratur. Celebre eſt carmen illud, Domine quid multiplicati ſunt qui tribulãt me, multi inſurgũt aduerſum me. Et paulò procul. Tu autem Domine ſuſceptor meus es ſiue clypeus meus, gloria mea, & exaltans caput meum. Incredibili numero & confidẽtia, & animorum cõtentione, in me irruit totus populus impiorũ: quò quiſq; gratia, conſilia, plus valebat, hòc ſæuiebat in me potẽtiùs, tu verò inſtar clypei, imo armati exercitus & inſtructi, me tueris, ita vt nulla hoſtiũ iacula ad me pertingere poſſint. Elegãter Grȩcus interpres locũ vertit ἀντιλήπτωρ μου ideſt defenſor, ꝓtector, propugnator meus. Idẽ valet atq; ὑπερασπιστὴς βοηθός, autore Heſychio. Et quoniã ad fulciendam Regiã Dignitatẽ, ad quã Diuino beneficio, ſemel quiſpiã euectus eſt, parum armati & clypeati milites poſſũt, qui neq; Regẽ Aſſyriorũ, neq; ſeipſos potuere defendere (vt habet proph. Nahũ) quo minus in miſerã abducerẽtur captiuitatẽ, Deum appel

appellat euectorem capitis. Quem enim ad dignitatis Regiæ culmen euexerat, potenter tuebatur, donabátque fœlici rerum ſucceſſu. Caput deiiciunt qui pudore ſuffunduntur, qui grauiùs lugent, qui in aliquo ſunt mœrore aut acerbitate: erigunt, qui honorantur, qui exhilarantur. Sic demiſſo capite incedebat Achab, cũ de cæde Naboth pœniteret. Sic de Chriſto R. N. extulit idem Dauid vaticinium, De torrẽte in via bibit, propterea exaltauit caput. Hæc verò nos ita conſideremus, vt in Aſſyriorũ Rege, & ſancto Dauide diſcamus præſidium atque defenſionem noſtram, non in armatis militibus ſitam, ſed in vno Deo pietatis & innocentiæ procuratore maximo: qui ſolus veram ſalutẽ, verã poſſit gloriam conciliare, neque tantũ caput noſtrum tueri, ſed & euehere in ſummam lætitiam & gloriam. Non eſt ille acceptor perſonarum, nam ſi quemadmodum Dauid illi fidem adhibuerimus, præſens etiã nobis omni in periculo aderit: ſi illo contempto & repudiato aliunde nobis ſalutẽ & vitam parandam ac tuendam arbitramur, omnia noſtra perfugia, atque præſidia, vaniſſima eſſe oſtendet, quæ in vtroq;

Rege,

Rege, Aſſyrio videlicet & Hebræo, perſpicere poſsit facilè animus Dei ſtudioſus. ancillæ eius minabantur gementes, vt columbæ murmurantes in cordibus ſuis. Hebrææ linguæ periti hunc locum diuerſa ratione interpretantur. Quæ obfirmata fuit eſt diſcooperta, atque exciſſa, & ancillæ eius quæ ducebant ſe mutuò ingemiſcebant, in morem vocis columbarũ. Quidam referunt priorem huius oraculi partẽ ad Regis palatiũ firmiſsimũ & munitiſsimũ, quod inexpugnabile videretur. Alij ad ciuitatẽ Niniuem quæ cùm muris cincta, clauſa fluminibus eſſet, & hoſti prorſum inacceſsibiis, capta tamen fuit & exciſſa. Nec defuêre qui crederent, הֻצַּב nomen eſſe propriũ Reginæ Aſſyriorũ, quã cõmitaretur lõgius ancillarũ famulatus, quæ vbi venerũt in poteſtatẽ hoſtiũ edẽtes lugubrẽ vocẽ, magno ciulatu iniquã & lamẽtabilẽ fortunã proſequebãtur, neque ipſam doloris vim aperta voce declarabãt, victorum graui formidine, hoc leuamenti & conſolationis, in tam graui dolore illis eripiẽte. Ciuitate vero expugnata, ſuperato Regio pręſidio, ſatellitio omni, partim trucidato, partim in captiuitatem adducto, vt nullus

nullus eſſet ſexus ad quē ſenſus doloris & acerbitatis, non penetraret. Ancillæ etiam captiuæ ducũtur. Id enim Diuina iuſtitia, exigit impiorum hominũ improbitas, & ſummus Dei contēptus, vt quæcũque ſiue ad animos oblectādos ſiue ad explēda corpora omni voluptatum genere, ſollicitè ſubitò illis eripiantur. In hoc autē homines diuites & opulenti, diuitias optant, in hoc aurum cumulant & ſpargunt, vt ancillarũ & ſeruorum numerus denſior fiat. Atq; ea in re potiſsimum Regiæ domus, bene inſtitutam familiam & mediocris fortunæ excedit, cũ in multis excedatur, apud Lydos maximè, Perſas & Babylonios, & Aſſyrios, quòd copioſum ſemper numerum ſeruorum & ancillarum paſcit, & lautius quidē multò. Magnā fœlicitatis partem arbitrātur, innumeros habere ſeruos & ancillas, blandiuntúrq; ſibi principes, viríq; primarij, ſi multos habeant domi qui miniſtrēt, honorēt, comitentur, adulentur. Quæ de principibus ac Regibus diximus, idē etiā de Reginis fœminíſq; illuſtrioribus ſtatuēdũ eſt. Legimus Salomonem hominem ſapiētem familiam habuiſſe adeò copioſam, vt quotidie magno ſumptu haberet opus

Cúmque

Cúmque in ea re exiſtimaret partem aliquam fœlicitatis ſitam, nihil tamen aut quietis aut ſecuritatis eis in rebus inuenit. Neq; minus ſuperfluā hāc curā,& inanitatis plenā dānat,quā cæteras de quibus in libro Eccleſiaſtes latiſsimè diſſeruit. Poſſedi (inquit) ſeruos & ancillas, & familiam multam nimis, feci mihi cantores & cantatrices, & delitias filiorum hominum. Quid verò,dic mihi,prodeſt ſeruis & ancillis plenam habere domum,niſi diligenti cura,illorum ſaluti atque animorū pietati proſpicias? Quo enim ampliorem habes familiam,maiori eges ſolicitudine, vt rectè inſtituatur. Quòd ſi illorum quos in tuam tutelam ſuſcepiſti & vitam negligis, Diuinam in te indignationem excitari nō dubites. Neque familia ipſa tua ſocordia & vitio animi omni ſcelere & flagitio coinquinata,& moribus corrupta & perdita,magni Dei animaduerſionem effugiet. Quemadmodum enim rex ipſe Aſſyriorum graui fuit caſtigatione correptus,ita etiam & illius omnis familia & clientela, in miſeram captiuitatem abducta & eadem fuit inuoluta ſupplicij genere. Nam quo plures habebat à quibus ſeruitiū exigeret,

geret,cò maius iudicium atque formidabilius incurrit,quòd ſummo omniũ principi Deo debita obſequia non præſtitiſſet. Sceleri enim ac flagitio dandum eſt eam ab hominibus ſeruitutem exigere,quam tu ipſe Deo non exhibes. Ac præter rationem denique aliis dominari geſtias,qui ſis ipſe ſeruus vitiorum omnium & ſcelerũ. Quòd ſi animum tuum inceſsit tanta dominandi cupiditas,& in frequẽtem ſeruorum & ancillarum cœtum,tuum explicare imperium cupis,curandum maximè eſſet,ne te vincerent iſtæ animi peſtes horrendæ maximè & auerſandæ, quæ in poſtremum ſeruitij genus adigunt,& in beſtiam degenerare cogunt. Sed fortaſſe neque pompam quæris, neque comitatum, ſed oblectamentum aliquod,ex numeroſa ancillarum multitudine, quemadmodum de Salomone diximus. Sed illius exẽplo tibi vehementer cauendum,ne te hic voluptatis ſenſus in omnia det vitia præcipitem:ni te iudices ſapientiorem ac ratione & mente & conſilio magis inſtructum,quàm ille cuius ſapientiam totus orbis ſuis temporibus admirabatur, & noſtra etiam ætate venerantur omnes. Itaq;

fit interdum iuſtiſsimo ſummi Dei iudicio, vt quæ res nobis magnas, contra Diuinas leges voluptates attulere, & magnum Diuinarum rerum contemptum noſtris animis ingenerarunt, inuitis & reluctantibus, neque ſine dolore & acerbitate aliqua eripiantur. Vt quæ oblectamenta male viuēndo percepimus nefario creaturarum vſu, ea etiam iuſta Dei caſtigatione & ſupplicio amittamus. Pulcherrimè verò atque elegantiſsimè propheta Nahum, cùm ancillarum captiuitatem deſcribit, fœmineos mores, & habitū muliebris animi ſimilibus in periculis depingit. Ancillæ eius quæ ducebant ſe mutuo, ingemiſcebant in morem vocis columbarum. Muliebrem animum timidum eſſe natura & in omni duriori fortunæ conflictatione pauere, propter imbecillitatem ſexus, & inopiam conſilij, nemo ignorat. Atque ita fit, vt cùm vel ciuitas ab hoſtibus capitur, vel oppugnatur acriter, vel fœminæ ipſæ in captiuitatem ducuntur, vel aliud grauiùs periculum vrget, ſe inuicem amplexentur, collacrymantes, ac flentes miſerabiliter, manibus etiam vtrinque datis atque conſertis, vt vel hac ratione leuamenti ali

ti aliquid,& conſolationis accipiant,& irruentem timorē & formidinem, vtcunque depellant:& numero & multitudine doloris ſenſum vincant,aut extenuent,quē conſilio & ratione non poſſunt.Hunc itaq; mētis & animi muliebris habitū,& ſexus imbecillitatem exprimit proph.cùm inquit, Ducebant ſe mutuò.Illarum verò ſingultus & ſuſpiria, voces querulas, gemitibus columbarum eleganter aſsimilat. Guttur enim columbæ vt in plurimum , murmure plenum eſt , quòd imperioſos mares & iniquos ferunt propter ſuſpicionem adulterij quāuis natura non ſit.Mares etiā cùm adulterium ſuſpicantur,murmura edunt, & ſæuos ictus roſtro inferūt. Tum prætereà circa veneris preces validè ingemiſcūt atque voce ipſa & crebris pedum orbibus fœminis adulātur. Fœminæ verò ſi parturiētibus deſint,neceſſaria ſolatia & miniſteria miſerabiliter cōquerūtur.Rectè igitur ſingultus & ſuſpiria fœminarū columbarū gemitibus ſimiles dicit propheta,vel quòd imperioſos mares Babylonios videlicet,colūbarū inſtar ferrēt,vel quòd vrbe ab hoſtibus capta, expugnato Regis Palatio,militibus ac fortiſsimis viris,in quibus

totum eſſet ciuitatis præſidium, deuictis & profligatis,& in captiuitatem ductis,omni virorum ſolatio & obſequio eſſent deſtitutæ. Neque fuerit à ſenſu germano alienum,ſi gemitus fœminarum,columbarum querelis ſimiles dixeris,quòd vrgente & excruciante interiùs doloris ſenſu,& ad intima animi vſque penetrante,timor tamen & grauis Babyloniorum formido, illarum vices cohiberet,ne apertam doloris ſignificationem darent; ſed columbarum more inconditos ſonos & plangores, & eiulatus nondum formatos ad plenum æderent.

Et Niniue quaſi piſcina aquarum,ſtate,ſtate,& non eſt qui reuertatur.

Dictio בְּרֵכָה piſcinam & fontem & viuarium ſignificat; & ſtagnũ aliquando. Rab. Dauid Kimhi Niniuem piſcinã appellatam arbitratur propter aquarum abundantiam, quibus interluebatur, tum perennium fontium iugiter ſcaturiẽtium, tum Tygridis fulminis celebratiſsimi;cuius aquis ac placido curſu,tota ciuitas non tantùm munita, ſed & fœcunda redderetur, cùm vbertate agrorum, & varietate fructuum,tum magnitudine paſtionis,atque

que aliarum rerũ quæ exportantur. Quæ quoniam Tygridis magna ex parte circũfuſa erat, piſcina fortaſſe appellatur. Scio Hebræorum quoſdam, non vulgaris eruditionis homines, piſcinæ nomen ad ciuitatem Niniues, aquarum verò quarum fit latenter mentio ad populi frequentiam & multitudinem, referre, quod in arcanis literis hominum conuentus, & multitudo numeroſa aquis aſsimilari ſoleat. Notiſsimum eſt illud propheticum, Aquæ multę, populi multi. Mihi ſanè videtur magno iudicio rem ipſam cum animo meo reputanti, Niniuem ciuitatem piſcinam appellatã à propheta, in ſugillationem impiorũ hominum & eorum qui extra Deum veram aliquam rationem fœlicitatis inueniri poſſe arbitrarentur. Exiſtimarunt Niniuitè ſuis temporibus, ciuitatem illam piſcinam eſſe, quæ viuentes aquas, & perenni decurrentes vena, intra ſinus reciperet. Vt enim iſtius modi piſcinam, quæ iugiter ſcaturiẽtibus aquis impleretur, nemo crederet vllo tempore exhauriẽdam, ac penitus exiccandam, ſic etiam miſeri mortales, cæteris in rebus, & ſuo ſeculo Niniuitæ arbitrabãtur ciuitatem illam fœlicem & opulẽtam,

& quam inſtar piſcinæ diuitiarum & opũ, quaſi perennis quædam vena influens, diuitem efficeret, nunquàm interituram. Quidquid enim vel re ipſa æternum eſt, vel aliquam æternitatis ſimilitudinẽ præ ſe ferre videtur, Diuina philoſophia iugiter ſcaturientibus aquis aſsimilare ſolet. Conquerebatur olim ſummus ille Deus, & grauiter ferebat (vt Hieremias inquit cap. 2.) quòd populus ſibi chariſsimus, gemino laboraſſet malo. Me (inquit) dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderũt ſibi diſsipatas ciſternas, quæ cõtinere aquas non poſſunt. Vnus eſt perennis fons perpetua vena ſcaturiens, Deus Op. M. à quo, quò plus biberis & hauſeris, eò plenior multo atque ditior inuenitur. Nunquam enim exhauriri poteſt æternitas, nũquam infinitas. Cætera verò quæ ab hominibus (propter ſummã iudiciorũ corruptionẽ) æterna putantur, vt opes, diuitiæ, imperiũ, robur corporis, ſalus integra (cæteráq; id genus) in quibus ſummã fœlicitatem ſitam arbitramur, adeò fontes aquæ viuentis nõ ſunt, vt cùm maiori & vrgẽtiori ſiti vexamur nullũ in illis leuamentũ, nullũ conſolationis genus, ꝙ vel omnino ſitim reſtin

guer

guere, vel ſaltim ſedare poſsit. Nõne diuitiæ & opes veluti ciſterna ſunt diſsipata, quæ continere aquas nõ poteſt, vt elegãter à Hieremia dictũ eſt. Nã ſparſæ quidẽ decreſcunt, ſeruatæ verò non diuitẽ hominẽ efficiunt, ſed occupatum, non dominũ ſed cuſtodẽ. Videmus enim frequenter falſam iſtam fœlicitatis humanæ partẽ, quam noſtra finxit ſtultitia, non tã corporis aut animi eſſe ornamẽtũ, quã vincula & cõpẽdes, & rationis impedimenta, ſolicitudinũ atq; formidinũ acerui. Vtiq; ſi Niniuitarũ ſumma amplitudo, & diuitiarum vſq; ad miraculum abundantia, atq; imperiũ tãta mole fundatum, piſcina fuiſſet viuentium aquarũ, vt illi exiſtimabant, creſcẽtibus diuitiis & imperij dignitate, debuiſſet etiam creſcere ſecuritas, gaudium, tranquillitas. Sed quoniam erant hæc omnia ciſternæ, ſiue putei pertuſi, qui aquas continere nõ poterant, breui tẽporis momento defecere, & quæ piſcina viuentis aquæ exiſtimabatur, exhauſta ſubitò, & nihil aquæ cõtinens apparuit. Quibus obſecro laboribus, quanto ſi putas, ſudore Niniuitæ, foderũt ciſternã, quam piſcinam ſiue viuũ fontem, & æternũ ſtultè exiſtimabãt? Erãt omnia quibus

ſe beatos ac fœlices arbitrabantur, quæſitu difficilia, cuſtoditu anxia, & cùm à Babyloniis diriperentur, fuerunt amiſſu flebilia, vt vere dictum ſit à Hieremia, Foderunt ſibi ciſternas diſsipatas, quæ continere non valent aquas. Nam verbo, vt arbitror, fodiendi, ſtultos labores, quibus mortales conſumimur ſignificabat, ſiue cùm diuitias & opes paramus, ſiue cùm imperium affectamus, ſiue cùm omni voluptatum genere, & corpora & animos explemus. Benè proinde propheta Nahum dementiam Niniuitarum exagitans, & illorum vanas exiſtimationes, per irriſionem dixit. Et Niniue quaſi piſcina aquarum. Quaſi dixiſſet. Hæc eſt veſtra fœlicitas ô viri Niniuitæ quibus vos beatos exiſtimabatis? Atqui non potuit illa firmior eſſe quàm tempus, cùm eò venit, cùm eodem fugit. Vos ipſi in modum vmbræ ad interitum feſtinatis, & hæc ciuitatis ornamenta, quæ ſunt veluti accidentia, quædam quaſi manſura & æterna vobis pollicebamini? Non piſcina erat, ſed ciſterna diſsipata, & puteus pertuſus veſtræ ciuitatis, & imperij amplitudo, aliôqui non euaſiſſet tanta celeritate inter oculos mirantium, atque

lau

laudantium.O miſeram fœlicitatem,& omni aqua deſtitutam ciſternam,quam leuis calor abſumpſit,exhauſit,& vnus Babyloniorum impetus,inſtar floſculi decuſſit,& inimica manus decerpſit. Quis verò illam arbitretur conſtantem,& veram fœlicitatis rationem, & inſtar ebullientis aquæ emanantem iugiter, quæ ſimul & faſtidium ſui generat,& eximiam animi virtutem frangit?Si enim illa vera fœlicitas erat,vt Aſſyrij exiſtimabant, quî fieri potuit,vt dicente propheta,quaſi illorum falſas opiniones ridens,State,ſtate,nullus reuertebatur,neque animum adhibebat præſentem?Cur inquam Aſſyrij,ſi hæc piſcina eſt viuentium aquarum, aut aliquam veræ fœlicitatis partē continet,greſſum non ſiſtitis,neque vſque ad ſupremum halitū depugnatis,vt illam tueamini? Quis vnquam deſerere potuit eam rem cuius conſequutione tantum fit fœlix atque beatus? Sed cùm in ſummum periculum res veſtrę vocantur,ipſa(vt arbitror)caſtigatio Diuina,falſam & mendacem,& quaſi ſub velo latentem,miſeriam detexit, & ciſternā eſſe oſtendit,quam piſcinam arbitrabamini,vt in poſterum veris ac manſuetis bo-

nis delectemini,non falſis atque labētibus.
Ingenerauit, vt arbitror, veſtris animis
graue faſtidium,fallax hæc beatitudo,&
quaſi mendax piſcina;veſtris ſenſibus ha-
ctenus blandiens,& illudens, cùm videtis
nihil habere magnopere expetēdum,iſte
non ſolidus, neque niſi ſuperficie tenus,
fulgens decor fœlicitatis. Sed quid veſtrā
antiquam fortitudinem, & celſitudinem
animi ita fregit,vt nullus audeat conſiſte-
re,ad tuendam piſcinam aquis diuitem &
opulentam? Ea fortaſſe copia & rerum a-
bundantia,veſtros, vt ſolet animos ener-
uauit. Pleroſque enim legimus tandiu for
tes & claros,& integros ac iuſtos extitiſſe,
quandiu in paupertate vixêre. Vos itaque
hactenus victores aliarum gentium,nunc
quoniam à diuitiis & opibus, & falſa bea-
titudine victi & peſſundati eſtis, animos
remiſiſtis veſtros,neque veterem illā reti-
netis audaciam. Cùm ergo plenam vide-
retis piſcinam iſtam,oportebat vtique vt
viros ſapientes decebat,ſic cum animo re-
putare veſtro, Plena eſt piſcina diuitiis &
opibus,cæteriſq; rebus,quas mortales ad-
mirantur magnopere,timēdum igitur ne
rumpantur,nam omnis plenitudo quærit
exi

exitum,timendum ne mortem nobis afferant & perniciem,quæ vitam hactenus & ſalutem multis gentibus abſtulêre. Poſsit hic locus in alium ſenſum trahi, ſi velis. Niniuem piſcinam appellatam propter piſcium multitudinem,ſiue ſtagnum,vt quidam non indocti vertendum putarunt. Frequenter enim ſcriptura ſacra, ciuitatem illam, quæ nullis eſt iuſtiſsimis legibus exculta, vbi nulla ratio iuſti & æqui habet piſcium multitudini aſsimilari ſolet. Quemadmodũ enim Reſpub.illa quæ optimè eſt inſtituta,ſimilis eſt cœlitum fœlicitati,ciuitatíque ſanctorum vbi omnia ex ęquo & iure conſtant,& perpetua quadam,ſuíque ſimili lege ducuntur,ita etiam illa quæ iniquis legibus, aut nullis formata eſt,ſimilis mihi videtur ſtagno, ſiue piſcinæ, multis piſcibus confertiſsimæ,quæ inter cæteras animantes natura genitas, minus legibus obtemperare vidẽtur. Neq; ducem vnum inter ſe,aut Regẽ ſequũtur, ſed qui maiores ſunt, & potẽtiores, minores deuorãt,& hoſtili ſemper animo deprę dãtur. Vt illud etiã prætermittamus, quòd nullã vnquam viã,aut certũ iter arripiũt, ſed hûc atq; illuc ſemper vagãtur incerti.

Cùm

Cùm S.Prophe. Abachuc cap.1,mœſtiſsimo carmine proſequeretur,ſuorum temporum infœlicitatem, & magnã ſuæ Reipub.confuſionem,& perturbationem,vbi nihil ex æquo & iure conſtaret, vbi ſemper à Diuinis legibus diſcederetur, quæ ſummum erant dignitatis vinculũ,& præcipuum veræ pietatis fundamentũ,ac ſumma religionis ratio,in hunc modũ aiebat, Quare nõ reſpicis ſuper iniquè agentes,& taces deuorante impio iuſtiorẽ ſe? Feciſti homines quaſi piſces,&quaſi reptile nõ habẽs principẽ. Si ergo Niniues propter multitudinẽ piſciũ aſsimiletur piſcinæ(vt quibuſdam probatũ iri video)iuxta ſolẽnem ſanctarũ ſcripturarum morẽ Rẽp.Niniuitarũ,noſtris oculis colluſtrandam,mentéq; complectendã proponit,& imaginẽ quandam ciuitatis in qua nihil eſſet quod ciuiũ vtilitates tueri,conſeruaréque potuiſſet. Cùm neq; nefarij homines,qui alienis fortunis inſidiantur,alienóq; ſemper ſanguine paſcuntur,vt fures prædones,& graſſatores publici, ſine legibus & inſtitutis,& aliqua æquitatis imagine, & effigie principis virtutum omnium, iuſtitiæ ſcilicet, viuant. Habent enim leges quibus pareãt,

quas

quas obſeruent, neq; ſe tutos aut ſecuros, ſine illis arbitrantur. Quod ſi de aquarum multitudine dictum velis. Niniues quaſi piſcina, imo de aquarum ingenio & natura potius, non admodum repugnabo, modo rectè magnóque iudicio prophetica ſimilitudo adaptetur. Dictio בְּרֵכָה vt piſcinam, & ſtagnum, ita etiam & ciſternam, & lacunculas ſignificare poſsit, quæ putridas & inſalubres contineat aquas, & inutiles omnino. Nemo ignorat inter omnia aquarum genera: nullum eſſe inutile magis, aut quod vſibus hominum minus pateat, quàm illud, quod putreſcit in opaca vmbra quod perpetuò torpet nec fluit. Sunt aquæ marinæ in portandis mercibus & exportandis vtiles: varia etiam animātia gignunt, quæ in morbos hominū partim, partim in medicamenta parata ſunt. Aquæ verò fluuiorū vt omittamus quòd intuentium oculos oblectant mirificè, nūc rapido, nunc verò placido curſu, quod ad humanum potum ſunt ſaluberrimæ, nonne generant etiam varias piſciculorū ſpecies gratiſsimi ſaporis? Quid de aquis fontium dulciſsimis dicam iugiter ſcaturientibus, quos mortalibus vſus præbent, nemo igno

mo ignorare poſsit. Rectè proinde S. prophe. Nahum Niniuem ciuitatem, lacunculam appellat, iuxta quorundam interpretationem, quòd cùm hominum frequentia & copia abundaret, nullos haberet prudẽtia aut exercitatione præditos, nullos quorum eſſet aliquis in re militari vſus. Conciliauerat enim illorum animis, non tantum corporibus corrupta ſcelere & flagitio vita, grauis præterea vrgentis mali formido marcorem, conſeneſcente vi illa natiua, qua innumeras anteà gentes ſub iugum miſerant. Vt enim inſtante nocte corpora inerti torpore occupari videmus, & animos pigra quadam inertia ſegneſcere, & contractam rationem quodammodo, ob inertiam & mœrorem, ita vt nullus penè ſit hominis vſus, nulla exercitatio, non ſecus etiam vſu venire videmus perditæ vitæ culpa, & flagitiorum caligine occupatis hominibus, quouſque tandem Sole emergente, & gratia Numinis illorum animis ſe inſinuante, quaſi ſubita renouatione denuò creati, multis in rebus neceſſariã tractationem, atque vſum cæteris præbẽt. Quis verò eos homines nõ inutiles arbitretur, inſtar aquarũ cõputreſcẽtium, qui cla

clamante propheta, & Regis aut ducis in ſe perſonam fingente, State, ſtate, pugnate fortiter pro veſtra Repub. pro aris, pro focis, liberis, vxoribus, pro imperio denique & libertate, nunquam animum præſentẽ adhibuêre, ſed celerem potius & irreuocabilem fugam ac pudoris plenam arripiunt.

Diripite argentum, diripite aurũ, & non eſt finis diuitiarum ex omnibus vaſis deſiderabilibus.

Rectè meo ſanè iudicio, ab optimo ſuorum temporum maximéque illuſtri hiſtorico dictũ accepimus, nulli vnquã neq; populo Romano, dum maximè floreret, veros ac fidos cõtigiſſe amicos, ob eáq; rẽ, nemo ſe fœlicẽ exiſtimare debeat, multorũ amicitiis, dũ fœlici, & ſine vlla offenſione vtitur curſu. Elegãter enim dixit ille, Fœlix ſe neſcit amare. Neq; vlla certa ſit amicitia, niſi vbi aduerſitas certa eſt. Omnes itaque amicitiæ quarũ vel delectatio, vel vtilitas fundamentũ eſt, caducæ profectò ſunt, nam & ſtantibus amicorum rebus tremunt, & recedentibus ruunt. Id verò non poſsibile tantũ, ſed & propè neceſſarium Ariſt. ſummus Philoſophus iudicabat, cùm amicitiæ fortunas, & opes, vel ætatem, formæque gratiam ſequũtur,

quibus

quibus nihil incertius. Nam quæ in virtute fundantur, æternæ ſunt, quemadmodum & virtus ipſa, quæ emori nequit. Ob eámque rem quos propter honeſtum dileximus, diligimus vel extinctos. Cum Regis Aſſyriorum ſtatus eſſet fœliciſsimus, omnibus abundaret copiis, nulláque laboraret rerum indigentia, amicorum ac ſeruorum frequentia plenas ſemper ædes habebat. Argenti verò & auri ſupellectile imminuta, imò prorſum diſsipata, abeunt mẽdaces ſerui, mendaces amici, falſǽque amicitiæ protinus deteguntur. Docuit proinde aduerſitas ipſa nullos fuiſſe Regis amicos, argenti verò & auri plurimos. Nam abeunte optima fortuna, nullis illos poterat verbis detinere, cùm diceret, State, ſtate &c. Nullus autem mirari debeat, ſi vaſe exhauſto diſcedunt, qui vini tantum dulcedinem ſequebantur. Nam quemadmodum fæx potorem, ita etiam aduerſitas ſimulatorem abigit. Illud ergo in primis perſuaſum debeat eſſe homini ſapienti, inter nefarios & pietatis hoſtes, amicitias nunquam conſtare: deinde verò raras eſſe ac propè nullas in tanta bonorum hominum raritate. Facilè perſpicitur hoc loco error

error ille longè pernicioſiſsimus,qui diuitum ac principum animos,vt in plurimũ occupat.Amorẽ enim argento coemi credunt & auro,qui amore tantum & beneuolentia comparatur. Vix humanum animum ſuapte natura generoſum,aut pretio aut herbis,aut carminibus recantare, aut ferro flectere,aut gemmis mouere poſſis,amando tantum atque colendo vincitur. Notiſsimum eſt amatorium illud Ecatonis,Si vis amari,ama.Si enim amor verus & ſolidus,ſola argenti & auri communicatione excitaretur,nunquam profectò Regi Aſſyrio in tanto honoris & imperij iactura amici defeciſſent, quos ampliſsimis proculdubio beneficiis, ac donis ſibi conciliauerat. Sed quis ſe tutum atque ſecurum exiſtimet ſola hominum amicitia fretus,cùm ſint humani pectoris tam multæ,tam variæ cauernæ imperſcrutabiles, tam venenoſi & inhumani, & implacabiles quorundam animi,vt culti ſpernant,& amati oderint,neque vllam pio affectui vicem reddant?Quantum,dic mihi,ſecurius ſit illius ambire amicitias, qui neque tuis rebus eget, neque te tuarum fortunarum gratia in ſuam beneuolentiam admittat,

neque afflictum & proſtratum deſerat,neque propter imbecillitatem,ab improbis te diuexari ſuſtineat,neq; preſſum ac multis affectum incommodis contẽnat,& deſerat iacentem. Duos inter ſe Reges confer, ſi libet,quorum alter totam in Deo ſuam collocarat fiduciam,neq; amicorum præſidio,aut argenti aut auri copia,& abundantia ſe tutum arbitrabatur,ſed ſola Numinis ope. Quid(inquit) mihi eſt in cœlo,& à te,ideſt, præter te,quid volui ſuper terram? Et alibi, Et nunc quæ eſt expectatio mea?nonne Dominus? Et quidem ſubſtantia mea apud te eſt. Confer alia ex parte Regem Aſſyrium auro argentóque onuſtum,omnibus bonis humanis,& copia amicorum affluentem; omnem ſuam ſpem his omnibus rebus collocãtem. Quis non videat quàm ſit diuerſa vtriuſq; fortuna,quàm ſit varius vtriuſq; rerum ſtatus? Alterius opes & diuitiæ, argentum, aurúmque diripitur, amici fugiunt,ſerui,milites,paraſiti,adulatores contẽnunt:& quẽ antea tanquam alterum Numen colerent, graui in periculo deſerunt. Omnes illius ſpes,alacritates,perfugia, vana & inutilia eſſe certè deprehenditur. Alterius fiducia

& ex

& expectatio, Diuino collocata præſidio, nunquam præciduntur: vt pote quæ non rebus caducis, neque ſingulis momẽtis periculoſè ægrotãtibus, niterentur. Nõ enim incerto temporis ac rerum euentu, ſed rebus æternis, & infinitis, ac prorſum immutabilibus, poſita erat illius cogitatio, atque defixa. Vtique ſi Niniuitæ, quemadmodũ cœpere ad prædicationem Ionæ, bonorũ operum theſauros congeſiſſent, nunquam in has rerum incidiſſent difficultates, neq; Babylonij hoſtili more illorum bona deprædarentur. Facite (inquit vitæ magiſter) theſauros in cœlo, vbi neque tinea, neque erugo demolitur, neque fures effodiunt, & furantur. Stultum eſt enim eis rebus congerendis omnem dare operam, quæ leui quacunque iniuria infringuntur, langueſcũnt, deficiunt. Cùm ſint ergo varij in literis arcanis theſauri hominis videlicet ſpiritalis, animalis & ſaxei, prior ille verã tantum rationem diuitiarum & opum ſubiit, quibus nihil vnquam decidere poſsit, vllo fortunæ aduerſo impetu. Cęterum theſaurus qui hominis animalis eſſe dicitur, qualis fuit diuitis illius Epulonis, neque in ſpẽ veram, in certam fiduciam, ſuos vnquam

adducit admiratores. Contingit præterea frequenter, vt dum propriis ſceleribus impij homines mentis rigorem & ſtuporem contrahunt, ſenſimq́; Diuinæ indignationis opes in vnum veluti locum conferunt, ſuo tempore depromendas, ſimul & diuinæ vltionis & iræ theſauri in publicũ veniant, & malè congeſtæ opes animalis hominis ad alienos poſſeſſores tranſeant. Quod Aſſyriorum exemplo cernere non fuerit difficile. Nunquam enim theſaurus ille periturarum rerum Babyloniis patuiſſet in prædam, qui tanto fuerat ſtudio ab Aſſyriis cumulatum, niſi paulatim etiam Niniuitæ Diuinæ vindictæ opes, contumaciter in ſceleribus pergendo, congeſiſſent. Diſcat hoc loco Chriſtianus animus, & Dei ſtudioſus, ancipitem & oneroſam eſſe iſtius modi fœlicitatem, quæ auri & argẽti, aliarúmq; rerum periturarum conſtat affluentia: ac plus habere inuidiæ, & ſolicitudinis quàm gaudij. Vix diuitem aliquem, vix ciuitatem opibus & diuitiis fœlicem & opulentam inuenias, ſi hiſtoriæ antiquitatem repetas, quæ non ſibi melius in mediocritate, vel paupertate fuiſſe dicat, quã in diuitiarum ſumma abundantia. Profectò

ctò ſi Niniuitarum imperium,auro,argen to, vaſis cælatis, omníque genere opum, ad miraculũ vſque non abũdauiſſet,nunquam Babylonij omni vi,conatu, armis, tantóque ſtudio,in Aſſyriorum res impetum feciſſent. Inuenerunt itaque aurum & argentum quod multæ concupiſcerent vicinæ gentes,Babylonij raperẽt.Fit enim vt in plurimùm circum optabilia concurſus,& periculum eſt congeſiſſe magno labore,quod multi cupiant,nullus partiri velit. Tanta itaque periturarum rerum exun dantia cauſa inter cætera fuit, vt nobile Aſſyriorum imperiũ funditus deleretur, & ciuitas ſuis temporibus,longè omnium celebratiſsima,ita interiret,vt nullũ prorſum ſui veſtigium relinqueret. Vaſa autẽ prophe.Sanctus commemorat, vel quòd Babylonios excitet ad diripienda vaſa ar gentea,& aurea,miro artificio cælata,vel Hebræorum more,genus omne inſtrumẽti argento auróque confectum,ſignificare voluit.Hebræis enim vaſa dicuntur inſtru menta & pocula,& arma cateráque id genus.Hinc R.Proph.pollicebatur Diuinorum beneficiorum, excellenti ac blando guſtu,& grata illorum recordatione, ex-

citatus. Confitebor tibi in vaſis Pſalmi veritatem tuam Deus,ideſt,in omnibus muſicis inſtrumentis, tuam erga pios homines fidem celebrabo. Apud Ezechielem cap. 9. Vnuſquiſque vas interfectionis habebat in manu ſua,ideſt inſtrumentum,ſiue telum lethale. Ea fortaſſe ſignificatione,hoc loco accipiendum eſt vaſorum nomen vt ſint vaſa ſcrinia, vbi res pretioſæ & chariſsimæ recondũtur,à ſecernẽdo Latinis dictá. Rab. D. Kimhi in hunc modum locum interpretatur, Gloria præ omnibus vaſis deſiderij, Niniuem expoliate. Huic ſententiæ fauere videtur Hebræa lectio כָּבֹד מִכֹּל כְּלִי חֶמְדָּה, id eſt gloria præ omnibus vaſis deſiderij. Dixerat, Diripite argentum & aurum, & non eſt finis diuitiarum, non poteſtis tantum deprædari, quantum ipſam ſe deprædandam præbet. Nunc verò in quam rem potiſsimus Babyloniorum impetus fieri debeat declarat. Gloriam (inquit) diripite præ omnibus rebus deſiderabilibus. Reliqua enim vitæ ornamenta mortales in gloriam & amplitudinem conferimus, tanquam in præſtantiſſimum finem. Principes & imperatores legimus ſæpe bella intuliſſe, cum finitimis,

tum

tùm remotis etiam nationibus, ac gentibus, ſæpè ad amplificandam gloriam, contendiſſe de maieſtate imperij. In eam rem ſummos Philoſophos, & diſciplinarũ cultores propenſos fuiſſe ſemper ambigit nemo, vt æternum & immortale ſibi nomen compararent. Quid aliud etiã inſignes artifices moliuntur, cũ lucrum ſæpe & pecunias & ſalutẽ ſpernunt, vt illuſtre aliquod opus cõficiant. Sit nobis exẽplo Phidias ille nobilis ſtatuarius, qui vultum ſuum Mineruæ Clypeo, ita inſculpſit, vt ab omnibus agnoſceretur, & cõuelli inde, niſi toto opere diſſoluto nullo modo poſſet, maximũ ſui laboris præmiũ exiſtimãs, nominis celebritatẽ, & apud poſteros gloriã. Illud prudẽs prætermitto, quòd quatuor nobiliſſimi artifices, magno pretio ab Arthemiſia Cariæ Regina acciti, vt famoſiſsimũ toto orbe Mauſeoli opus cõficerent, cùm ante abſolutum opus obiiſſet Regina in opere perſtiterunt, nihil aliud quàm ſuum decus, & facti memoriam cogitantes. Magnus ille Euangelij prædicator ad Rom. cap. 2. quoniam mentis humanæ cupiditatem, & impetum omnem in honoris & gloriæ ſtudiũ, primò incitari cognouerat, cultoribus

Euãgelij gloriam & honorem pollicetur. Gloria(inquit)& honor & pax omni operanti bonum. Trahimur enim omnes vehementi quadam honoris & gloriæ cupiditate,neq; vllus eſſe poſsit labor tam improbus, quem leuis aliqua claritatis ſpes, non faciat leuiſsimum. Aeterna itaque illa bona nobis in cœlis repoſita, gloriæ & honoris appellationibus Paulus explicuit, quoniam optimum quenque atque generoſum animum gloriæ cupiditate incenſum & inflammatum ſatis nouerat. Hinc nobilis proph. Eſaias cùm aduerſum impios & nefarios homines graue aliquod vaticinium & infauſtum prædicit in ſplendorem & celebritatem nominis primò inuehitur,ac deinde reliqua bona diripienda ſignificat. Cap.16.aduerſum Moabitas hoc genus ſupplicij tãquam grauiſsimum intentat. Auferetur(inquit)gloria Moab. Et cap.17.aduerſum viros Iſraelitas, gloriam Iacob attenuandam,ac prorſum minuendam prædicit. Idem etiam aduerſum Aegyptios cap.20.& cap.21.aduerſum Cędar intentat pœnarũ grauiſsimum genus. Oſeas cap.4. gloriam impiorum in ignominiam conuertendam:& Abac.cap.2.vo

mitus

mitus ignominiæ poſt ſummũ glorię ſplendorem promittit. Itaque quoniam gloria eſt, in qua tota humanæ vitæ ratio confertur, cuius gradibus (vt Cicero dixit) homines videntur in cœlum aſcendere, neceſſario dicendum ſit inter cætera vitæ ornamenta hoc præſtantiſsimum eſſe, ac Diuino beneficio mortalibus contingere. Magnam ergo & ſpectabilem nominis claritatem ſummus Deus in Aſſyrios contulerat, vt quemadmodum ſplendoris & amplitudinis ratio, & frequens cum laude fama illorum animos delectabat, ita etiam Deum autorem huius tantæ claritatis & lucis venerarentur. In eam rem contulit imperium florẽtiſsimum, incredibilem diuitiarum copiam, vt cæteris gentibus magna eſſent æſtimatione, & agnita tanta beneficiorum amplitudine Dei ſummam beneficẽtiam religiosè colerent. Et quoniam ea eſt vera & ſolida gloria quæ naſcitur ex virtute, & hanc etiam illis cõtulit prędicante Iona. Relicta enim perdita vita, ſola virtute contenti, & in lamenta ſoluti, magnam veræ gloriæ partem conſequuti ſunt. Tantum itaque Dei munus nõ agnoſcentes autorem tantorum beneficiorum

ſumma contumelia affecere, ob eámque rem non tantum diuitiis & opibus, ſed & gloria & amplitudine maximè præ omnibus vaſis deſiderabilibus (vt Prophe.inquit) expoliantur. Hoc enim æquitas Diuinæ poſtulat iuſtitiæ, vt æterna turpitudinis labe, & ſempiterno dedecore afficiantur, qui laudis & dignitatis munus in propriam perniciem, & conditoris Dei ignominiam vertunt.

Diſsipata eſt & ſciſſa, & dilacerata, & cor tabeſcens liqueſcit, & diſſolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus, faciéſque omnium ſicut nigredo ollæ.

PRophetica inſultatio, & quidem elegantiſsima, in tanta Aſſyriorum calamitate. Oſtendit autem rebus omnibus pretioſiſsimis direptis, gloria & amplitudine verſis in ignominiam, qualis futura eſſet totius ciuitatis facies; qualis etiam ciuium habitus & affectio. Diſsipata eſt ciuitas quæ antea eſſet imperij domina, aut euacuata eſt (vt Hebræa ſonare videntur) quæ omnibus eſſet plena diuitiis, dilacerata eſt, ita vt nullus iam halitus in illa ſuperſit, ſumpta Metaphora ab his qui à feris

minu

minutatim diſcerpũtur. Ciues autem tanta ſunt animi conſternatione, tã graui formidine perculſi, vt genua tremant & diſſoluãtur, & ægritudo grauiſsima omnium inuaſerit lumbos, ac facies ipſæ in modum ollæ fuliginoſæ nigredinem contraxerint. Principio itaque tabeſcentes animos, ſiue corda commemorat: nam cùm vehementiori formidine concutimur, & grauiſſimo agitamur timore, magnus impetus fiat neceſſarium eſt, magnúsq; concurſus, non tantum caloris, ſed ſpirituum etiã circum præcordia, per venas hematitidas, ſiue ſanguinarias. Cùm itaq; ingens caloris & ſanguinis vis circa præcordia in graui formidine coadunetur, fit neceſſariò vitalia omnia, quodammodo colliqueſcãt. Solent enim duriora quæq; ad vehemẽtioris caloris præſentiam, ſolui, flui, liqueſcere. Hippocrates Cous, libro de morbo ſacro, tametſi timorẽ, non cordi ſed cerebro tribuere videatur, eãdem penè timoris ac formidinis cauſam adducit. Timor (inqt) fit à cerebri tranſmutatione, dum nimium caleſcit. Caleſcit autem præ bile, vbi ad cerebrum impetum fecerit ex corpore, & timor adeſt donec rurſũ redierit in venas, ac

dein

deinde quieſcat. Neque tamen negat Hippocrates, cor ac proinde vitalia omnia, nobis graui timore occupatis, graues ſentire concuſsiones. Quare neceſſarium eſt dum cor angore cõficitur, vniuerſum corpus inhorreſcere, ex eodem autore & lib.. Autor tamen eſt Ariſt. hos omnes affectus quos in timẽtibus cernimus, cauſam habere caloris vehementiã, interiora petẽtem. Hinc genua tremunt, totũq; perhorreſcit corpus, ſoluitur vẽter interdum, funditur veſica. Simile quidpiam apud Plutarchũ habes cùm quærit cur nauſea maiorem in modũ concitetur iis qui in mari nauigant, quàm qui in fluminibus etiam cum fuerit, γαλήνη, ideſt tranquillitas. Vides Chriſtiane lector, quãta cum proprietate dicatur, ad explicanda certa timoris indicia & argumenta, Cor liqueſcens & diſſolutio geniculorum &c. Neq; verò aut minus propriè aut elegãter dicitur, Aegritudo in omnium lumbis, aut defectio in cunctis renibus. Nam quoniam, vt Phyſici tradunt, duo renes lumbis adhęrent, interdũ alterũ pro altero interpretes vertũt, lumbos pro renibus, & cõtra. Multa Leui. 3. frequénſq; mentio renũ eſt. Multa de renunculis vitali

talium, de adipe, de pinguedine, quibus ſacerdotes erudiuntur de rebus arcanis & abſtruſioribus. Quæ quoniã à noſtro ſunt inſtituto aliena, conſulto prætermittuntur. Illud verò ſuſcepto à nobis argumento videtur accommodatiſsimum, quod ſacris eſt literis comprehenſum & externa confirmat Philoſophia. Omnem doloris ſenſum grauiſsimum, & periculoſum, renibus Diuina ſcriptura tribuit, omnémq; grauiorem calamitatem, dolorem renum frequenter appellat. Inde fortaſſe ſumpta loquendi proprietate, quòd vt Galenus habet libro de internis affectionibus, hic dolor omnium ſit longè grauiſsimus. Eo loquendi genere vſus eſt Hieremias Threnorũ cap.3. cùm ciuitatis ſanctæ, ac totius gentis Iudææ infœlicitatem flebili proſequeretur carmine. Miſit (inquit) in renibus meis filias pharetræ ſuæ. Filias pharetræ ſagittas appellat, Hebræorum more, ac ſagittarum commemoratione, occulta Diuinæ mentis & prouidẽtiæ conſilia exprimit. Sagittas enim in homines nefarios & peccatores cõtorquet validiſsimè, cùm de occulto prouidentiæ conſilio apertam profert ſententiam. Cùm enim graui ali-
quo

quo ſupplicio ſcelerati homines corripiũtur, ſagittam, id eſt, caſtigationem ipſam probè agnoſcunt, quibus tamen ex cauſis proficiſcatur ignorant omninò. Atqui quãto grauius eſt ſupplicium, & animaduerſio maior, atque inde nata doloris acerbitas, tanto facilius ad mẽtem redimus mortales, vt propriam agnoſcamus culpam, & Diuinæ prouidentiæ cõſilia ſuſpiciamus. Et quoniã renũ dolor, vt diximus maximè mordax eſt, plurimúmq; habet acerbitatis ſagittas Diuina manu cõtortas renibus affixas dicit, vt grauiſsimos intelligas fuiſſe Iudęę gẽtis cruciatus. Hinc etiã Hieremias ca. 30. cũ proſpera populo Dei nũciaret inimicis illius & hoſtibus: grauia quædã & intolerabilia. Omnis viri manus (inquit) ſuper lũbos eius. Qua dicẽdi figura acerbiſſimũ animi ſenſum, & dolorẽ ſignificabat incõſolabilẽ omnino. Quocirca cũ lũbos meminit propheta Nahũ ſiue renes, in quibus grauis ægritudo reſideret, vulgato Hebręæ gẽtis loquẽdi modo omniũ opinióe, maiorẽ Aſſyriorũ animis incluſum dolorẽ ſignificat. Hos internos acerbi doloris ſenſus eleganter explicuit, cùm denigratas ſiue infuſcatas Aſſyriorum facies denũciat, inſtar

inſtar fuliginoſæ ollæ. Nam vt illud prætermittamus quòd vultus immutatio ſiue in ruborem, ſiue in pallorem, aut nigredinem, certiſsima internæ affectionis argumenta ſuppeditat, multa ſolet frequenter Diuina philoſophia docere mortales, colorum tractatione ac diſputatione exactiſſima. Colore atro & fuliginoſo miſeriam omnem & calamitatem, ſicut cādido optimum ac fœlicem rerū ſucceſſum. Regius prophe. pſal. 68. Fœlicitatem populi Dei ex relata ab hoſtibus victoria, candori aſſimilat, vt miſeriam ſubinde atrori atque nigredini. Si dormiatis inter medios cleros ſiue ollas, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri. Si in ſumma fueritis miſeria & afflictione, & poſtrema rerum difficultate, quæ ollæ nigredine ſignificatur, inde tamen Diuina manus quæ omnia poteſt, vos eripiet; & pennæ vobis contingent columbæ, tam candidæ quàm eſt argentum, cuiúſque alæ velut aurum ſunt fuluæ, hoc eſt; omnia vobis alba, optata, fœlicia euenient. Quibus facilè perſpicitur, quid etiam fuligine ollæ & nigro colore propheta Nahum ſignificare velit, afflictam

vtique atque perturbatam Aſſyriorũ fortunam, atque inde natum doloris ſenſum & acerbitatem, & grauiſsimum in tanto periculo timorem, quæ cùm interna cruciarent, non poterat vultus nõ prodere internos animi habitus, & affectiones.

Vbi eſt habitaculum leonum, & paſcua catulorum leonum? Ad quam iuit leo, vt ingrederetur illuc catulus leonis, & non eſt qui exterreat. Leo cepit ſufficienter catulis, & necauit leænis ſuis. Et impleuit præda ſpeluncas ſuas, & cubile ſuum rapina.

IRriſio eſt principum, & Regum, & eorum qui apud Aſſyrios ſummis funguntur magiſtratibus. Eam loquendi figuram Græci σαρκασμὸν appellant. Fabius illuſionem. Is verò tropus aut pronuntiatione intelligitur, aut perſona, aut rei natura. Apparet autem in illuſione contrariam eſſe voluntatem his quæ dicuntur. Cicero Verrem appellat prætorem vrbanum, hominem ſanctum & diligentem. Et Clodij videtur laudare innocentiam & vitæ integritatem. Integritas (inquit) tua te purgauit, pudor eripuit, vita antè acta ſeruauit. Poſsit autem illuſtri fieri aut Metaphora & Allegoria adhibitis, aut ſeruata verborum

borum propria ſignificatione. Hoc autem loco propheta Nahum Aſſyrios eleganti Metaphora ridet, Leones illos appellans, & leonum catulos, tum quòd ſummã in rebus bellicis fortitudinem & audaciã oſtentaſſent, tum quòd magnam ſibi pollicerentur ſecuritatem; cùm tamen à Babyloniis tanquam imbecilles oues, & timidi lepores capti fuerint & diſsipati. Sed & illud fortaſſe illuſio reſpicit, quòd propheta ſacer antiquæ Niniuitarum gloriæ detrahit. Fuerant enim Aſſyrij bellandi gloria & virtute inter cæteras nationes nobiles & illuſtres adeò vt de imperio & principatu illis ſemper cederēt, quemadmodum leoni cæteræ animantes ſolent. Neque illorum iudicium circa hunc locũ mihi improbatur qui Niniuitarum animos amplíſſimos, belluinos impetus, & ſummam ferociam, & violentiam intolerãdam leonum appellatione, notari arbitrantur. Sic enim diuina Philoſophia principes, Reges, viros maximè illuſtres diuites & opulentos, leones, vrſos, ſorpentes, aſpides appellat non ſine magna loquendi proprietate. Nã ad declarandum Regiuæ faſtum, & confidentiam ſanctus patriarcha Iacob, de Iu-

a

da aiebat. Decubuiſti vt leo,& quaſi leæna,& quis excitabit eum? Eleganter vtiq; propheta dicebat,de potentibus hominibus & imbecillitate minorum. Grex diſperſus populus meus,leones eiecerūt eos. Ezechielis 19. Quare mater tua leæna inter leones cubauit,in medio leunculorum enutriuit catulos ſuos? Quo loco magnorum virorum mores,& illuſtrium fœminarum ingenium exprimit. Cùm S.Prophe. Eſaias ca.11. de temporum Chriſti Ieſu fœlicitate,vaticinaretur,more etiam prophetico aiebat, Habitabit lupus cum agno & pardus cum hœdo accubabit,& vitulus & leo & oues ſimul morabuntur. Vitulus & vrſus paſcentur ſimul, & delectabitur infans,ſuper foramina aſpidis & in cauerna Reguli &c. Apertum ſanè vaticinium earum mutationum,quas toto orbe non ſine magna mortalium admiratione lex Euangelica debuiſſet efficere. Quis enim non miretur, homines ſingulari immanitate præditos,omni duritate, & crudelitate teterrimos ſumma aſperitate morum depoſita,pari iure cum ouibus & agnis,ideſt cū hominibus infimis & vulgaribus agere? Hoc autem legem Euangelicā præſtitiſſe,
nemo

nemo dubitare poſsit. Nota ſunt ſtolida illa ſtultæ arrogantiæ argumenta certiſsima, quã à multis annis principes ſibi vſurparunt, non modò Chriſtianis ſed gentibus etiam indigna. Nonne cùm inſignia oſtentant vrſorum, leonum, pardorum, vulturum, gladiorum ignium, libenter fatentur talia ſe habere ingenia, qualia ſunt illa atrocia, rapacia, ſæua, cruenta? Sanctus ergo propheta Nahum, veterem prophetarum, ac ſuæ gentis morem ſequutus, principes & magnates Aſſyriorum, leones, Reginas nobiléſque fœminas leænas, filios illuſtrium leunculos eleganter appellat. Tanta eſt huius animantis atrocitas, immanitáſque naturæ, vt aliorum ſemper ſanguinem ſitiat, ac ſuam inſatiabilem crudelitatem exerceat, non tantum in viuas, ſed in mortuas animãtes. Neque ſanguinem tantum, & maſticata membra, ſed & integra etiam & ſolida exorbet. Eandem verò ex ore ſpumare ſæuiciem, & ex infimo pectore crudelitatem, principes & Reges videmus in homines ſibi ſub iectos, cæteróſque quos vi & armis interdũ propulſant, quam leo ſolet in cæteras animantes. Nemo ignorat quid ſacra refe-

rat hiſtoria de Abimelecho principe, Gedeonis filio, qui ſeptuaginta fratres occidit, vno excepto, qui fuga & pedibus, ſalutem ſibi reperit. Quo pacto Sychimitas omnes noctu adortus trucidat, nulla ſexus, aut ætatis habita ratione: quomodo vrbē vi captam diruit, & in eius area ſalem ſparſit. Saul prætereà Hammonitarum ſcelus & ſuæ gētis iniuriam audiens, bobus quos præ ſe agebat ſuccidit crura, præfatus, ſic omnes perituros, qui ſibi eodē die ad Iordanem fluuium præſto nō eſſent in armis. Athalia fœminarum ſæuiſsima omnē Dauidis ſtirpem ſuſtulit, ne quis fortaſſe ſupereſſet, à quo prohiberetur dominio. Herodes Rex multa puerorum millia occidi iuſsit, quo autorem noſtræ ſalutis interciperet. Plena ſunt antiqua rerum geſtarum monumenta, horum atque ſimilium non tantum ſacra, ſed etiam profana. Crudelitatem Philaridis Regis Aggrigētinorum, Alexandri Pherei Ptolomæi Phiſci Regis Aegypti nemo ignorare poſsit. Hæc tāta in principibus morū acerbitas & inhumanitas, cauſa præcipua eſt, quantum ego exiſtimare poſſum propter quam diuina Philoſophia leones illos appellet, dracones

nes

nes & vrſos. Accedit ad hoc, quòd leo inter cæteras animantes, iniuriam ſemel acceptam memoria infixam ita retineat, vt ſi à quopiam fuerit laceſsitus, tandiu iram & cupiditatem vindictæ retineat, quoad debitas pro maleficio pœnas ſumat. Legito ſi libet, hiſtoriam Iubæ Mauri patris eius, qui in triumpho puer admodum ductus eſt, de leone iniuriam vlciſcente. Nobiles autem viri diuites & opulenti, ſi leui quacunque iniuria afficiantur amiſſam ſtatim nobilitatem arbitrantur, obſcuratum domeſticum ſplendorem, maiorum imagines probro & dedecore affectas, niſi ſe probè vlciſcantur. Citius ruat cœlum, totáq; natura vehementiori aliquo motu cõcuſſa ſoluatur, quàm iniurio miſereantur homini. Nunquam illis in mentem venit, nullam eſſe obliuionem generoſiorem, quàm obliuionem acceptæ iniuriæ. Quòd ſi vt leones ſolent, ex vltione oblectamentum capiunt, nulla eſt maior delectatio, quàm ea quæ de rebus optimè geſtis naſcitur. Inter quas primum obtinet locum iniuriæ remiſsio. Quantos clementia honeſtauit, quàm paucos vltio. Nihil tam neceſſariũ mortalibus quàm iniuriæ remiſsio, nemo

enim eſt qui non peccet,nemo cui non mi ſericordia opus eſt. Qua negata quis tam multos criminum & culparum extricabit nodos? Quid diſruptum humanæ ſocietatis fœdus ſarcire poterit? Semper inter ſe homines,ſemper in illos decertabit ira diuina,nullus erit aut litium aut pœnarum finis,nunquam ceſſabunt,neq; arma neq; fulmina. Id ergo principibus magníſque viris ſemper conſulendum eſt,vt miſereãtur affectúſq; vindictæ compeſcãt,& vt reliquis hominibus faciant quod ſibi ab hominibus fieri volũt:& quod à ſummo Deo obnixè petunt,id aliis hominibus largiantur. Ad hæc,cùm leones iam ætate proceſſere,neque ad montanas prædas perſequẽdas apti ſunt,ad ſtabula,& paſtorum ſubterraneas caſas ſolent proficiſci,inibíq; inſidias moliuntur,non ſolum bubus verum etiam & agniculis infirmioribus animantibus. Non ſecus ij, quos leones appellat propheta, cùm propter ætatem aut egeſtatem,aut inopiam ad montanas prædas aſcendere non poſſunt, id eſt,magnis ac conſpicuis hominibus,non valent aut bella inferre,aut eos aliqua violentia opprimere,ad humiles caſas & minora animan-

tia

tia ſeſe conuertunt,homines videlicet tenues,vt perniciosſam & immanem deprædandi conſuetudinem illorum animis penitus inhærentem exerceant. Tunc grauatur Reſpub.nouis exactionibus,augentur tributa,pauperum bona publicantur, excogitantur modi quibus Regius fiſcus creſcat in dies, aliorum decreſcant neceſſariæ facultates. Cùm gens Iſraelitica præſentem rerum ſtatum,& optimum gubernationis modum,per iudices & conſules pertæſa,nouam regiminis formam optaret,eò decurſum eſt,vt creandi Regis mentio inferretur, penes quem eſſet pacis & armorum poteſtas. Quod vt aliquando fieret auſpicatius,cenſent Samuelem eius rei non ſolum autorem faciendum,ſed & poſtulandum ab eo, vt ipſe qui cæteros prudentia & ſanctitate anteiret,vnum ex omni Iſraelitarum numero legeret, cui vniuerſa gens domi, militiæque pareret: Quibus auditis miratus dicitur ſenex,quę tam ſubita habendi Regis cupiditas, populorum animos inceſsiſſet.Scire ſe primo aſpectu rem ſpecioſam Regnum videri, perſuaſúmq; multis fuiſſe,nihil melius in humanis eſſe viri vnius qui optimus eſſet

deinde quieſcat. Neque tamen negat Hippocrates, cor ac proinde vitalia omnia, nobis graui timore occupatis, graues ſentire concuſsiones. Quare neceſſarium eſt dum cor angore cõficitur, vniuerſum corpus inhorreſcere, ex eodem autore & lib.. Autor tamen eſt Ariſt. hos omnes affectus quos in timẽtibus cernimus, cauſam habere caloris vehementiã, interiora petẽtem. Hinc genua tremunt, totũq; perhorreſcit corpus, ſoluitur vẽter interdum, funditur veſica. Simile quidpiam apud Plutarchũ habes cùm quærit cur nauſea maiorem in modũ concitetur iis qui in mari nauigant, quàm qui in fluminibus etiam cum fuerit, γαλήνη, ideſt tranquillitas. Vides Chriſtiane lector, quãta cum proprietate dicatur, ad explicanda certa timoris indicia & argumenta, Cor liqueſcens & diſſolutio geniculorum &c. Neq; verò aut minus propriè aut elegãter dicitur, Aegritudo in omnium lumbis, aut defectio in cunctis renibus. Nam quoniam, vt Phyſici tradunt, duo renes lumbis adhęrent, interdũ alterũ pro altero interpretes vertũt, lumbos pro renibus, & cõtra. Multa Leui. 3. frequénſq; mentio renũ eſt. Multa de renunculis vitali

talium, de adipe, de pinguedine, quibus ſacerdotes erudiuntur de rebus arcanis & abſtruſioribus. Quæ quoniã à noſtro ſunt inſtituto aliena, conſulto prætermittuntur. Illud verò ſuſcepto à nobis argumento videtur accommodatiſsimum, quod ſacris eſt literis comprehenſum & externa confirmat Philoſophia. Omnem doloris ſenſum grauiſsimum, & periculoſum, renibus Diuina ſcriptura tribuit, omnémq; grauiorem calamitatem, dolorem renum frequenter appellat. Inde fortaſſe ſumpta loquendi proprietate, quòd vt Galenus habet libro de internis affectionibus, hic dolor omnium ſit longè grauiſsimus. Eo loquendi genere vſus eſt Hieremias Threnorũ cap. 3. cùm ciuitatis ſanctæ, ac totius gentis Iudææ infœlicitatem flebili proſequeretur carmine. Miſit (inquit) in renibus meis filias pharetræ ſuæ. Filias pharetræ, ſagittas appellat, Hebræorum more, ac ſagittarum commemoratione, occulta Diuinæ mentis & prouidẽtiæ conſilia exprimit. Sagittas enim in homines nefarios & peccatores cõtorquet validiſsimè, cùm de occulto prouidentiæ conſilio apertam profert ſententiam. Cùm enim graui ali-
quo

quo ſupplicto ſcelerati homines corripiũtur,ſagittam, id eſt, caſtigationem ipſam probè agnoſcunt, quibus tamen ex cauſis proficiſcatur ignorant omninò. Atqui quãto grauius eſt ſupplicium, & animaduerſio maior,atque inde nata doloris acerbitas,tanto facilius ad mẽtem redimus mortales,vt propriam agnoſcamus culpam,& Diuinæ prouidentiæ cõſilia ſuſpiciamus. Et quoniã renũ dolor,vt diximus maximè mordax eſt,plurimúmq; habet acerbitatis ſagittas Diuina manu cõtortas renibus affixas dicit, vt grauiſsimos intelligas fuiſſe Iudęę gẽtis cruciatus. Hinc etiã Hieremias ca.30.cũ proſpera populo Dei nũciaret inimicis illius & hoſtibus:grauia quædã & intolerabilia. Omnis viri manus (inquit) ſuper lũbos eius. Qua dicẽdi figura acerbiſſimũ animi ſenſum,& dolorẽ ſignificabat incõſolabilẽ omnino. Quocirca cũ lũbos meminit propheta Nahũ ſiue renes,in quibus grauis ægritudo reſideret,vulgato Hebrææ gẽtis loquẽdi modo omniũ opiniõe, maiorẽ Aſſyriorũ animis incluſum dolorẽ ſignificat. Hos internos acerbi doloris ſenſus eleganter explicuit,cùm denigratas ſiue infuſcatas Aſſyriorum facies denũciat,

inſtar fuliginoſæ ollæ. Nam vt illud prætermittamus quòd vultus immutatio ſiue in ruborem, ſiue in pallorem, aut nigredinem, certiſsima internæ affectionis argumenta ſuppeditat, multa ſolet frequenter Diuina philoſophia docere mortales, colorum tractatione ac diſputatione exactiſſima. Colore atro & fuliginoſo miſeriam omnem & calamitatem, ſicut cãdido optimum ac fœlicem rerũ ſucceſſum. Regius prophe. pſal. 68. Fœlicitatem populi Dei ex relata ab hoſtibus victoria, candori aſſimilat, vt miſeriam ſubinde atrori atque nigredini. Si dormiatis inter medios cleros ſiue ollas, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri. Si in ſumma fueritis miſeria & afflictione, & poſtrema rerum difficultate, quæ ollæ nigredine ſignificatur, inde tamen Diuina manus quæ omnia poteſt, vos eripiet; & pennæ vobis contingent columbæ, tam candidæ quàm eſt argentum, cuiúſque alæ velut aurum ſunt fuluæ, hoc eſt; omnia vobis alba, optata, fœlicia euenient. Quibus facilè perſpicitur, quid etiam fuligine ollæ & nigro colore propheta Nahum ſignificare velit, afflictam

vtique

vtique atque perturbatam Aſſyriorũ fortunam, atque inde natum doloris ſenſum & acerbitatem, & grauiſsimum in tanto periculo timorem, quæ cùm interna cruciarent, non poterat vultus nõ prodere internos animi habitus, & affectiones.

Vbi eſt habitaculum leonum, & paſcua catulorum leonum? Ad quam iuit leo, vt ingrederetur illuc catulus leonis, & non eſt qui exterreat. Leo cepit ſufficienter catulis, & necauit leænis ſuis. Et impleuit præda ſpeluncas ſuas, & cubile ſuum rapina.

IRriſio eſt principum, & Regum, & eorum qui apud Aſſyrios ſummis funguntur magiſtratibus. Eam loquendi figuram Græci σαρκασμὸν appellant: Fabius illuſionem. Is verò tropus aut pronuntiatione intelligitur, aut perſona, aut rei natura. Apparet autem in illuſione contrariam eſſe voluntatem his quæ dicuntur. Cicero Verrem appellat prætorem vrbanum, hominem ſanctum & diligentem. Et Clodij videtur laudare innocentiam & vitæ integritatem. Integritas (inquit) tua te purgauit, pudor eripuit, vita antè acta ſeruauit. Poſsit autem illuſtri fieri aut Metaphora & Allegoria adhibitis, aut ſeruata verborum

borum propria ſignificatione. Hoc autem loco propheta Nahum Aſſyrios eleganti Metaphora ridet, Leones illos appellans, & leonum catulos, tum quòd ſummã in rebus bellicis fortitudinem & audaciã oſtentaſſent, tum quòd magnam ſibi pollicerentur ſecuritatem; cùm tamen à Babyloniis tanquam imbecilles oues, & timidi lepores capti fuerint & diſsipati. Sed & illud fortaſſe illuſio reſpicit, quòd propheta ſacer antiquæ Niniuitarum gloriæ detrahit. Fuerant enim Aſſyrij bellandi gloria & virtute inter cæteras nationes nobiles & illuſtres adeò vt de imperio & principatu illis ſemper cederẽt, quemadmodum leoni cæteræ animantes ſolent. Neque illorum iudicium circa hunc locũ mihi improbatur qui Niniuitarum animos ampliſſimos, belluinos impetus, & ſummam ferociam, & violentiam intolerãdam leonum appellatione, notari arbitrantur. Sic enim diuina Philoſophia principes, Reges, viros maximè illuſtres diuites & opulentos, leones, vrſos, ſorpentes, aſpides appellat non ſine magna loquendi proprietate. Nã ad declarandum Regum faſtum, & confidentiam ſanctus patriarcha Iacob, de Iu-

da aiebat. Decubuiſti vt leo,& quaſi leæna,& quis excitabit eum? Eleganter vtiq; propheta dicebat,de potentibus hominibus & imbecillitate minorum. Grex diſperſus populus meus,leones eiecerũt eos. Ezechielis 19. Quare mater tua leæna inter leones cubauit,in medio leunculorum enutriuit catulos ſuos? Quo loco magnorum virorum mores,& illuſtrium fœminarum ingenium exprimit. Cùm S.Prophe. Eſaias ca.11. de temporum Chriſti Ieſu fœlicitate,vaticinaretur,more etiam prophetico aiebat, Habitabit lupus cum agno & pardus cum hœdo accubabit,& vitulus & leo & oues ſimul morabuntur. Vitulus & vrſus paſcentur ſimul, & delectabitur infans,ſuper foramina aſpidis & in cauerna Reguli &c. Apertum ſanè vaticinium earum mutationum,quas toto orbe non ſine magna mortalium admiratione lex Euangelica debuiſſet efficere. Quis enim non miretur, homines ſingulari immanitate præditos,omni duritate, & crudelitate teterrimos ſumma aſperitate morum depoſita,pari iure cum ouibus & agnis,ideſt cũ hominibus infimis & vulgaribus agere? Hoc autem legem Euangelicã præſtitiſſe,

nemo

nemo dubitare poſsit. Nota ſunt ſtolida illa ſtultæ arrogantiæ argumenta certiſsima, quā à multis annis principes ſibi vſurparunt, non modò Chriſtianis ſed gentibus etiam indigna. Nonne cùm inſignia oſtentant vrſorum, leonum, pardorum, vulturum, gladiorum ignium, libenter fatentur talia ſe habere ingenia, qualia ſunt illa atrocia, rapacia, ſæua, cruenta? Sanctus ergo propheta Nahum, veterem prophetarum, ac ſuæ gentis morem ſequutus, principes & magnates Aſſyriorum, leones, Reginas nobileſque fœminas leænas, filios illuſtrium leunculos eleganter appellat. Tanta eſt huius animantis atrocitas, immanitáſque naturæ, vt aliorum ſemper ſanguinem ſitiat, ac ſuam inſatiabilem crudelitatem exerceat, non tantum in viuas, ſed in mortuas animãtes. Neque ſanguinem tantum, & maſticata membra, ſed & integra etiam & ſolida exorbet. Eandem verò ex ore ſpumare ſæuiciem, & ex infimo pectore crudelitatem, principes & Reges videmus in homines ſibi ſub iectos, cæteróſque quos vi & armis interdũ propulſant, quam leo ſolet in cæteras animantes. Nemo ignorat quid ſacra refe-

rat hiſtoria de Abimelecho principe, Gedeonis filio, qui ſeptuaginta fratres occidit, vno excepto, qui fuga & pedibus, ſalutem ſibi reperit. Quo pacto Sychimitas omnes noctu adortus trucidat, nulla ſexus, aut ætatis habita ratione: quomodo vrbẽ vi captam diruit, & in eius area ſalem ſparſit. Saul præterea Hammonitarum ſcelus & ſuæ gẽtis iniuriam audiens, bobus quos præ ſe agebat ſuccidit crura, præfatus, ſic omnes perituros, qui ſibi eodẽ die ad Iordanem fluuium præſto nõ eſſent in armis. Athalia fœminarum ſæuiſsima omnẽ Dauidis ſtirpem ſuſtulit, ne quis fortaſſe ſupereſſet, à quo prohiberetur dominio. Herodes Rex multa puerorum millia occidi iuſsit, quo autorem noſtræ ſalutis intercipere. Plena ſunt antiqua rerum geſtarum monumenta, horum atque ſimilium non tantum ſacra, ſed etiam profana. Crudelitatem Philaridis Regis Aggrigẽtinorum, Alexandri Pherei Ptolomæi Phiſci Regis Aegypti nemo ignorare poſsit. Hæc tãta in principibus morũ acerbitas & inhumanitas, cauſa præcipua eſt, quantum ego exiſtimare poſſum propter quam diuina Philoſophia leones illos appellet, dracones

nes & vrſos. Accedit ad hoc,quòd leo inter cæteras animantes, iniuriam ſemel acceptam memoria infixam ita retineat,vt ſi à quopiam fuerit laceſsitus,tandiu iram & cupiditatem vindictæ retineat, quoad debitas pro maleficio pœnas ſumat. Legito ſi libet,hiſtoriam Iubæ Mauri patris eius,qui in triumpho puer admodum ductus eſt,de leone iniuriam vlciſcente. Nobiles autem viri diuites & opulenti,ſi leui quacunque iniuria afficiantur amiſſam ſtatim nobilitatem arbitrantur,obſcuratum domeſticum ſplendorem,maiorum imagines probro & dedecore affectas,niſi ſe probè vlciſcantur. Citius ruat cœlum,totáq; natura vehementiori aliquo motu cõcuſſa ſoluatur,quàm iniurio miſereantur homini. Nunquam illis in mentem venit,nullam eſſe obliuionem generoſiorem,quàm obliuionem acceptæ iniuriæ. Quòd ſi vt leones ſolent,ex vltione oblectamentum capiunt, nulla eſt maior delectatio,quàm ea quæ de rebus optimè geſtis naſcitur. Inter quas primum obtinet locum iniuriæ remiſsio. Quantos clementia honeſtauit, quàm paucos vltio. Nihil tam neceſſariũ mortalibus quàm iniuriæ remiſsio, nemo

tia ſeſe conuertunt, homines videlicet tenues, vt perniciofam & immanem deprædandi conſuetudinem illorum animis penitus inhærentem exerceant. Tunc grauatur Reſpub. nouis exactionibus, augentur tributa, pauperum bona publicantur, excogitantur modi quibus Regius fiſcus creſcat in dies, aliorum decreſcant neceſſariæ facultates. Cùm gens Iſraelitica præſentem rerum ſtatum, & optimum gubernationis modum, per iudices & conſules pertæſa, nouam regiminis formam optaret, eò decurſum eſt, vt creandi Regis mentio inferretur, penes quem eſſet pacis & armorum poteſtas. Quod vt aliquando fieret auſpicatius, cenſent Samuelem eius rei non ſolum autorem faciendum, ſed & poſtulandum ab eo, vt ipſe qui cæteros prudentia & ſanctitate anteiret, vnum ex omni Iſraelitarum numero legeret, cui vniuerſa gens domi, militiæque pareret. Quibus auditis miratus dicitur ſenex, quę tam ſubita habendi Regis cupiditas, populorum animos inceſsiſſet. Scire ſe primò aſpectu rem ſpecioſam Regnum videri, perſuaſúmq; multis fuiſſe, nihil melius in humanis eſſe viri vnius qui optimus eſſet

imperio. Fœdiſsimum tamen eius rei euentum, multíſque pernicioſum, gētes omnes ſui erroris admonuiſſe, quòd non modò nō eſſet tutum hominibus Regem habere, ſed vehemēter etiam calamitoſum, hoc enim eſſe de fortunis & vita periclitari. Deniq; cùm populus ſententia deiici non potuiſſet, ex oraculo diuino ſanctus ſenex in publicum retulit, quales noua Regis creatio exitus debuiſſet habere. Hoc (inquit) erit ius Regis, qui regnabit ſuper vos, Filios veſtros accipiet, vt equites faciat, illiúſque currum præcedant, faciet eos tribunos, & quinquagenarios, aratores & meſſores. Tollet filias veſtras vt faciat vnguētarias, cupidinarias, & piſtrices. Agros veſtros, vineta, & oliueta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis. Semina veſtra & vineas veſtras decimabit, dabit Eunuchis ac ſeruis, ſeruos veſtros & ancillas, & iuuenes elegantes, aſinos veſtros accipiet, vt ſua illis conficiat opera. Quin & gregē decimabit veſtrum, eritíſque ei ſerui. Quid aliud hoc loco (dic mihi) ex diuina ſentētia audis, quàm Regē leonū inſtar omniū temporum atq; tectorum, totiúſq; Reipub. prædonē eſſe, vrbes atque domos, illorū ſemper cupiditatibus

pate

patefactas? Hæc itaq; cupiditas ſummáque libido prædandi atque rapiendi illos inter cætera leones ſæuos & truculẽtos facit. Naſcitur ex truculentia iſta & ſæuitie, & animo belluino, ſumma animi diffidentia. Quẽadmodũ enim leones cùm ætate iam proceſſere, vix cũ cęteris animantibus verſari, aut conſortia cum illis inire audẽt: ſecum perpendentes quanta illis intulerint nocumenta, quoties per ſummã violentiã, illos diripuerint, occiderint, laniauerint atrociter, ad eundem per omnia modum principes & magiſtratus ſummi magno cũ metu, ac diffidenter inter homines verſantur. Cædibus enim & rapinis ſummam poteſtatem in ſubditos declarãt, vnde omnia ſibi ſuſpecta reddunt. Leonum ergo habitaculum Niniuem ciuitatem appellat, non tãtum propter Regem Senacheribum, verum etiam & propter eos qui multis retrò annis imperiũ apud Aſſyrios obtinuiſſent. Sic habet diuina ſcriptura de prima Regũ tyrannide Geneſis cap. 10. Chus genuit Nimrod, ipſe cœpit eſſe fortis in terra, fuítque principium regni eius Babel. De terra illa egreſſus eſt Aſſur, & extruxit Niniuem. Fuit ergo Babylonium primum to-

tius orbis Regnum,cùm adhuc mortales communi ſermone vterentur. Aſſur verò imperium Nimrod contēnens, alium ſibi erigendæ vrbi ampliſsimæ locum delegit. Hic primus Aſſyrius,ſeu Ninus qui ciuitatem ampliſsimam edificauit,veteres gētium mores,noua imperij cupiditate mutauit. Is omnium primus cœpit inter homines leonis ingenium & immanitatem referre,cùm bella finitimis gentibus intulit,& rudes adhuc ad reſiſtendum homines ad Libyæ terminos vſque perdomuit. Hic leonis more magnitudinem quæſitæ dominationis,bellis & ſanguinis effuſione firmauit:adeò vt domitis proximis nationibus cum acceſsione virium, fortior ad alios tranſiret,totiúſque orientis populos ſubegiſſet.Regnum Babylonium ſuo tandem Regno adiecit. Atque hinc fortaſſe profana hiſtoria primum illum Babyloniæ Regem fuiſſe affirmat.Libens prætermitto quæ de filio Nino & vxore Semiramide antiquiſsima rerum monimenta referunt,quas clades mortalibus intulerint, quantũ fuderint humani ſanguinis,vt iure ciuitas illa luſtrum leonũ appellari potuiſſet,proptet maiorũ ſæuitatem & crudelitatem.

tatem,quam iure veluti hæreditario trāſfuderunt in poſteros.Inſultat proinde Niniuitis ſanctus Proph.dicens. Vbi eſt habitaculum leonum,& paſcua ſiue luſtrum catulorum leonum? Quo pacto(inquit)ciuitas ampliſsima, vbi leones diuerſabantur, funditus euerſa ante omniū oculos iacet? Ad quam ingrediebatur leo potētiſsimus (Rex videlicet Aſſyriorū)præda onuſtus, & catulus leonis & non eſt qui exterreat? Hæc ad ingenium leonis & vires ſunt referenda,ac Regis Aſſyriorum potentiā. Leo capta præda ſumma ſecuritate agit,cū certò ſciat ſe viribus & audacia, cæteris animantibus præſtare. Quæ verò adiecit de ſtudio prædandi, rapiendi,implēdi ſpeluncam,vt leænis ac leūculis diſtribuat ex his quæ in ſuperioribus diximus ſufficienter (vt arbitror)explicabuntur.

Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum,& ſuccendam vſque ad fumum quadrigas tuas, & leunculos tuos comedet gladius,& exterminabo de terra prædam tuam,& non audietur vltra vox nunciorum tuorum.

COncluſio eſt omniū quæ antea dixerat.Ecce(inquit)tibi hoſtis ſum.Neq; enim hæc Babylonius ſua virtute cōficiet,ſed mea potius. Hominibus enim

vel conſilio, vel opera reſiſtere facile fuerit: diuinæ autem potentiæ, & indignationi quis ire obuiam poſsit? Aut quid poſsit illis ex voto ſuccedere, quibus Deus infenſo animo eſt & inimico? Infœlices ſemper exitus illorum res habeãt neceſſarium eſt, exemplo Aegyptiorum, Pharaonis, Saulis, aliorúmque ſimilium. Dominum autẽ exercituum ſe appellat, ne fortaſſe Aſſyrij, in multitudine exercitus aut pugnãtium, bellica virtute ſpem collocarent ſtulté. Habet enim ille tum ad puniendos improbos, tum ad bonos viros tuendos, innumeras Angelorum myriadas. Succendam (inquit) vſque ad fumum quadrigas tuas, potentiam videlicet, & robur prorſum abſumam. Leunculos tuos, ſiue liberos, aut viros fortes & potentes gladius comedet, deuorabit, trucidabit, conficiet, Prædam autem ſiue diuitias malè congeſtas, & opes ſumma impietate quæſitas funditus delebo. Neque vox nunciorum tuorum, quibus aut blaſphemare ſummum Deum, aut ciuitates ad deditionem ſolicitare, aut grauiſsimam miſeris hominibus formidinem incutere ſolebas, audietur amplius. Silebunt itaque omnia, & iacebunt, quæ

te

te antea mirabilem faciebant, & illuſtrem, nec quiſpiam erit qui Aſſyriorum nomen, vel ſummo dignetur ore aſſumere.

COMMENTARIA IN TERTIVM CAPVT.

Væ ciuitas ſanguinum, vniuerſa mendacij & dilaceratione plena, non recedet à te rapina.

FLEBILI carmine atque mœſtiſsimo propheta proſequitur ciuitatis Niniues ac totius imperij Aſſyriorum excidium, interpoſita elegãti Hippotypoſi captæ vrbis. Hei vrbem ſanguinariam (inquit) omni flagitio ac ſcelere cumulatam. Omnia carnis opera, ſingulas illius affectiones, peccata deniq; omnia Diuina ſcriptura ſanguinem, ſiue ſanguines appellat. Frequentius tamen pauperum oppreſsiones, vexationes humilium, & tenuium, ſanguinis appellatione exprimuntur,

tur vetuſtiſsimo loquendi more ſanctarũ ſcripturarum. Elegantiſsima ſanè translatio verborum. Sanguinis enim redundatia corpus efficitur ſucculentum, atque illius copia robur & vires adauget. Humanũ ſanguinem fundere grauiſsimũ ſcelus habetur in arcarnis literis: quo fit, vt omnis grauior impietas flagitiúmq; atrox omnis carnis affectus & opera, ſanguis appelletur. Nobilis propheta Eſaias, capite 33. acriter reprehendit eos qui cùm poſsint, & ex munere & officio debeant innocentiã tueri, & omnẽ iniuriã & violẽtiam à minoribus arcere, nihil minus curant. Hoc autẽ oppreſsionis genus, quo tenues homines afficiuntur, ſanguinem appellabat dicens, Qui obturat aures ſuas ne audiat ſanguinem, id eſt, pauperi iniuriam impoſitã, & illatam violentiam non vindicat. Notiſsimũ eſt carmẽ illud Regij vatis, Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ, & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam. Quo loco (niſi me falſum opinio tenet) nõ id facinus tantum deprecatur, quo Vriam militem dederat neci, ſed ſanguinũ appellatione omnia ſimul ſcelera cõplexus eſt, quæ illius animum vehemẽter vrgebãt, &

prop

propriam conſcientiam grauiter excarnificabant. Huc pertinet geminatio illa, qua ſimul oſtendit ardentiſsimũ orationis affectum, ſimul & grauitatem ſceleris, quod deprecabatur. Neque ſanguinem dixit, ne quis arbitraretur de homicidio Vriæ mentionẽ tantũ intuliſſe, ſed ſanguines & omnes ſimul impietates inter ſe cõnexas vno verbo explicaret. Si ergo grauiſsima ſcelera expiaris, ſi meũ animũ ſanguinibus elueris: nunquã memoria gratiſsima tãti beneficij delebitur: multis carminibus tuã bonitatẽ prędicabo, qui dederis veniã peccãti, cęco lumẽ ingeſſeris, erexeris iacentem, & errantem deduxeris in viam. Hier. cap. 2. gentem Iudæorum dura increpatione ſceleris & impietatis admonebat, diuturnum odium videlicet, quod in bonos & tenues homines inueteratũ haberet, vnde omnis violentia, rapina, cæteráque id genus flagitia naſcerentur. Sub alis tuis (inquit) inuentus eſt ſanguis. Quemadmodũ autem alarum appellatione, ſummam ad patrãda ſcelera celeritatem, ita etiam ſanguinem commemorando, genus omne impietatis ſignificabat, more prophetico, & quaſi Hebrææ gentis inſtituto. Eſaiæ

cap.

cap.9.cùm in Regem Senacherib aliquan do triſte & infauſtum vaticinium detonaret, eadem ſermonis figura vtebatur, Omnis violenta prædatio, & veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem, & cibus ignis. Genus omne violentiæ prædã appellat, hoſtium manubias, & ſpolia aliarum ciuitatum, quæ reges Aſſyriorũ in Niniuem ciuitatem congeſſerant. Veſtimentum autem ſanguine cruentatum grauiſſimas Niniuitarum impietates, & finitimis gentibus violentiam frequenter illatam ſignificat. Quemadmodũ enim veſtis, humano reſperſa ſanguine difficilè expurgari poſsit, ita etiam cõtractas ſordes per iniuriam aliis impoſitam & preſſam innocẽtiam & diuexatam. Videmus enim eos qui ſimili impietate incredibilem diuitiarum & opum vim cõgeſſêre, nunquã aut quàm rariſsimè ad virtutẽ facere regeſſum. Itaq; quoniam veſtimentum ſanguine permixtum in priſtinum candorem reuocari nõ poteſt, reliquũ eſt (inquit Proph.) vt igne prorſum abſumatur, cùm nullum iam ſui poſsit præſtare vſum. Hinc facilè percipi poſsit, vnde loquutiones illæ Diuinis ſcriptoribus familiares naſcantur, quibus &

carnis

carnis concupiſcentiam ſanguines appellant. Ioan. 7. Qui non ex ſanguinibus neque ex voluntate carnis &c. & vindictam & vltionem ſanguinem dicunt. Math. 27. Sanguis eius ſuper nos. Et cùm propria quiſque culpa periit ſanguinem illius ſuper proprium caput recidere. Sanguis tuus (inquit S. Dauid) ad eum qui Regem Saulem interemiſſet, ſuper caput tuum. Sanctus itaque proph. Nahum ciuitatem ſanguine plenam aut ſanguinariam, Niniuem videlicet deplorat, quòd omni eſſet ſcelere coinquinata, omníque flagitio infecta, quòd plena eſſet opibus & diuitiis, multórum iniuria & violentia quæſitis. Ob eámque rem ſubiecit illi, Non recedet à te rapina. Poſtulat enim æquitas, vt quæ rapinis ſemper & deprædationi vacauit, aliárúmque gentium & ciuitatum incommodis ſua ſemper parabat commoda, Babyloniorũ prædæ & direptioni pateat. Quòd autem Niniuem mendacij & dilacerationis plenã appellat, difficillimos habet explicatus. Rab. Dauid Kimhi homo doctiſſimus, plenam mendacij Niniuem dictam arbitratur, quòd inuicem deciperẽt & deluderent: nullúſque aduerſum proximum

veritatem ſeruaret. Sic habet commentariis in hũc locum וּמְשַׁקְּרִים אִישׁ בְּאָחִיו שֶׁמְּכַחֲשִׁין i. decipientes atque mentiẽtes, quiſque cum fratre ſuo &c. Scio mendaciũ in diuinis literis frequenter in hanc ſignificationem accipi, vt ſit idem mẽtiri quod fallere 4. Reg. 4. Fœmina quædam dicebat ad Heliſeum, Noli quæſo Domine mi vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ. Abach. 3. Mẽtietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum. Gene. 47. Tertium quoque peperit, quem appellauit Sela, quo nato parere vltra ceſſauit. Hebræi ſic legũt, Et rurſus peperit filium, & vocauit nomen eius Schela, nam fuit in fallendo dum ipſa pareret eum. Ideſt parum abfuit vt partus fefelliſſet, & periclitata eſſet mater. Non enim cõſuetudinis more venit, ſed obliquè quod nimium eſt periculoſum. Itaque habet ſententia Rab. Dauid Kimhi innumera ſcripturarum loca quibus ſe tueri poſsit. Et ad exaggerãdas impietates Niniuitarum magnum (vt ego iudico) habet pondus, nullã veritatis fidei & conſtantiæ in dictis, pactis, & fœderibus, rationem habere. Quid enim poſsit in ea ciuitate bonum eſſe aut optimum, vbi fundamẽtum iuſtitiæ deſit,

dicto

dictorum,factorúmque conſtantia & veri
tas? Apud Romanos olim fides Iouis Opt.
M.in capitolio vicina erat,quòd poſt Deũ
immortalem,veritatem ac fidẽ colere na-
tura ipſa doceret quodãmodo. Benè pro-
inde propheta Nahum inter cætera quæ
aduerſum impietatem impiorum comme
morat,mendacium ſecundum tenet locũ,
quaſi veritatis neglectus cauſa etiã ſic ven
turę cladis,& excidij totius vrbis.Sed cùm
huius vocis ſignificatio pateat latiſsimè,
poſsit hic locus in alios trahi ſenſus longè
diuerſos,ab eo quem excogitauit Rab.D.
Kimhi. Interdũ enim impia illa cõfidentia
improborum hominũ,opibus,diuitiis Re
gno,imperio,aliiſq; rebus fluxis collocata,
mendaciũ etiã appellatur. Hiere.c.7.ea ſi-
gnificatione mẽdacij appellatione vteba-
tur:Nolite cõfidere verbis mendacij dicen
tes, Templũ Domini,tẽplũ Domini,tẽplũ
Domini eſt. Omnẽ ſuã fiduciã Iudæi Hie-
remiæ tẽporibus in vno templo potiſsimũ
collocabãt,cuius magna erat religio & an-
tiquitas. Cúmq; S.Proph.aduerſum impie
tates illorum grauiſsima depromeret ora-
cula , & horrendas intentaret caſtigatio-
nes,materialis templi mẽtione frequenti,

& tutos ſe & ſecuros arbitrabantur. Non delebit Dominus(aiebāt)ciuitatem iſtam, neque credendum ſit in poteſtatem gentium venturam vrbem,in qua erigere voluit proprio conſilio templum toto orbe celeberrimum,& magnificè conſtructum: in quo vera religio,pietaſque egregiè colitur. O pernicioſum mendacium(inquit Hieremias)& impiam confidentiam,quæ ab ædificiorum ſplendore, & magnificentia ædium,& à maioribus,auro & cruſtis ſalutem ſperat. Regius proph.Dauid Pſal. 4.mortales omnes grauiter reprehendit, quòd obſtinata mente veritate deſerta ſectarentur mendacium. Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem,& quæritis mendacium? Mendax vtique eſt vitis quæ expectata vt faceret vuas,fecit labruſcas, mendax arbor quæ loco fructuum folia tantum producit,mēdax arcus(more ſanctarum ſcripturarum) qui ab ſcopo aberrarit. Nonne igitur men dacem,imo mēdacium iure appelles illud cōfidentiæ genus,quod à rebus vaniſsimis ac mendacibus pendet?Quo nomine cenſeas(dic mihi)ſpectationem illā,qua quiſpiam,vel è tenebris lumen eruere, vel aurum

rum è nube, vel vitam à morte ſperat? Nõne vanitatem & mendacium, & certiſsimam impoſturam diceres? A ſole lumẽ ſpectandum eſt, aurũ è terrę viſceribus eruendum, à Deo vita. Monet proinde Regius propheta mortales omnes ne genus hoc mendacij in animos mẽtéſq; noſtras admittamus, vt à rebus vaniſsimis ſalutem vnquam expectemus. Quid ciuitati Niniuitarum & Aſſyriæ genti profuit inſigne illud mendacium, & impietatis plena confidentia, qua & imperium eorum forę perpetuum, & ciuitatem nunquam interiturã exiſtimarũt, quaſi aut opibus, aut diuitiis, aut exercitus robore, aut bellica induſtria, omne à capitibus propriis arcere potuiſſent periculũ? Clamant omnia illa quæ ſtultè mirantur homines vaniſsima eſſe & cum mendacio coniuncta (id quod Salomon toto libro Eccleſiaſ. eleganter proſequitur.) Nam & diuitiarum confidentiam eſſe mendacem, & Regnum & ſummum in alios imperium, extinctum nomen Niniuitarum, Romanorum, Babyloniorum ſatis declarat. Robur corporis præterea mendax eſſe vno Samſonis exemplo fiet apertiſsimum. Vt omittamus quod Hercu

lem ab omnibus inuictum, vis latentis veneni vicit, quod Milonem cunctis celebratum & cognitum palæſtris arbor vna detinuit, lacerandúmque feris obtulit. Neq; verò illud prætereūdum cenſeo, quod ſcriptura Diuina mendacium etiam appellat omnem virtutis & pietatis ſimulationem, & fucum, quo cæteris ſolent imponere hypocritæ. Neque enim verbis tantum ſed & factis frequenter mentiuntur, quemadmodum de facie Creuſæ Aenæi. 2. poeta eleganter dixit. Et æs interdum mentitur aurum. Plenam itaque mendacij ciuitatem Niniuem appellat, quòd eximiam illā virtutem & pietatem, quā prædicante Iona, declararat, & pœnitentiæ lamēta, & trium dierum inediam, & preces pro remiſsione delicti, cæteráque id genus egregia opera obliti, quæ ſummam vitæ innocentiam in poſterum pollicebantur, falſa quodammodo & mendacia deprehenduntur, dum breuiſsimo tempore interiecto ad antiqua ſcelera, & veterem peccandi conſuetudinem relabitur, & omnem quā de illa cæteri ſpē conceperant, omnino fefellit. Scio quorūdam eſſe iudicium, neque (vt mihi quidem videtur) omnino reiiciendum, mēdacium

hoc

hoc loco ſeruitutem poſtremam,in quam erant Niniuitæ adigēdi à Babyloniis,propter illorum impietates ſignificare. Itaq; ſanguinem cōmemorando,ciuitatis flagitia,mendaciū autem & dilacerationem,& rapinā,pœnas debitas peccatis expreſſerit. In eum ſenſum locus ille à viris longè doctiſsimis accipitur Pſal.82. Inimici Domini mentiti ſunt ei,ideſt,facti ſunt ei ſupplices,& illius potētiæ & ditioni penitus ſubiecti. Sic Deute.33. cum hoſtibus populi Iſraelitici,inquit, Mentientur inimici tui, ſubditi erunt, & ſeruient atque omnino obſequentur. Atque hinc fortaſſe mentiri pro trepidare & poſtrema,ſeruiliq; ſubiectione ſcriptura vſurpat, quòd qui in hunc modum ſubiecti ſunt,ſoleant graui timore addicti iis mentiri quibus ſeruiūt, quorúnq; potentiā maximè reformidant: ſiue quòd mēdaciter, ſuperbè,querulè dominis ſeruiāt,& qui libēti, vt dominis videtur,neceſſaria illis prçſtarēt obſequia,cū domi verſantur,vbi limen exceſſerint,cū inuiſis dominis,apertas inimicitias lōgius agāt,armis ſi liceret acturi.Sic veteres latini fures pro ſeruis dicebant,ꝙ ſerui omnes furari ſoleant,propter nimiam dominorū

erga illos parſimoniam. Quibus facilè cernitur, in quem ſenſum quorūdam opinione mendacij plenam vrbem ſanctus Nahum appellat. Eſt enim illa mendacij plenitudo ſeruitus plena, poſtrema ſubiectio, ac proinde grauis formido erga Babylonios ciuitatis deuaſtatores. Non ſatis conuenit inter autores Hebræos quid dilaceratio ſignificet, Hebrai. פֶּרֶק. aliis enim ad rapinam & prædam referēdam vocem videtur, aliis ad ciuium diſcordias, & odia inteſtina, & exitialia, quæ vt Chriſtus magiſter V. docuit certiſsima ſunt argumenta, & indicia vicinæ perditionis & interitus. Plato libr. de Rep. 4. Ciuium concordiam, & animorum vicinitatem, & charitatis vincula, tantopere neceſſariam arbitratur, vt ei qui voluiſſet ciuitatem optimè inſtituere, neceſſarium cum primis duceret ad vnitatem ſummam, quantum fieri poſſet ſtatum Reipub. adduceret. Ob eā rem iubebat ne ciuitas, aut diuitiarum nimia copia, aut poſtrema laboraret indigentia, quòd ex vtroque ſoleant oriri graues ſeditiones, totáque ciuitas perturbari. Sed neque exiguam, neque vaſtam eſſe ciuitatem voluit, quod vtrunque valde pericu-

loſum

loſum crederet & ad retinendum ciuium inuiolabilem charitatē & amicitiam etiā perniciosum iudicaret. Deniq; huc omnes ingenij neruos præſtantiſsimus Philoſophus contulit, vt ciuitatem fingeret quæ ſumma ſemper concordia, & fortunarum; & animorū maximè vnitate egeret, quòd ciuium amicitia Rempubl. tutiorem reddat, quàm mœnia & muri impenetrabiles. Pau. ad Epheſ. ſcribens cap. 4. omnem adhibet operam, vt Chriſtianam Rempubl. ad ſummam animorum concordiam redigat: iubétque ſeruent ciues ſolicitè vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, ſint vnū corpus, & vnus ſpiritus, quemadmodum vna eſt ſpes Chriſtianæ vocationis. Breuis quidem de concordia & amicitia lex, ſed quæ præſtantius faciliúſque doceat, & inſtruat, quàm frigidæ Platonis leges, aliorúmque qui Reſpubl. inſtituere cogitarunt. Benè Seneca quemadmodum cætera omnia. Leges (inquit) oportet eſſe breuiſsimas, ita vt emiſſa veluti diuinitus vox, iubeat, non diſputet, & ab hominibus etiam imperitis teneatur. Quemadmodum ergo eam ciuitatem fœlicem exiſtimamus, in qua vnitas non tam corporum, aut fortunarum,

quàm animorum magna diligentia ſeruatur, ita etiam Rempub. illam miſerã & excidio proximam arbitraremur, vbi ſeminaria illa diſſenſionum, & tumultuum in omniũ ore & quotidiano ſermone eſſent. Quid mihi cũ homine iſto? Diues eſt, pauper eſt, doctus, indoctus, nunquam de me bene meritus, læſit aliquando, nunquã profuit. In ciuitate ergo optimis exculta legibus, tanta debet eſſe ciuium vnitas, vt nemo alterum alienũ cenſeat, aut ignotum. Nam alienus eſſe quî poteſt? qui cum tãta tibi intercedit vnitatis copula, vt vnum cũ illo ſis corpus, vnus ſpiritus. Optimè Phædrus apud Platonem aiebat, Si quo pacto ciuitas vel exercitus fieri poſſet, partim ex his qui amant, partim ex his qui amantur, ſupra quã dici poſsit, fortiter agerẽt, adminiſtrarẽntq; ſingula, dum per verecũdiam à turpibus abſtinerent, & ad honeſta quaſi quadam æmulatione contenderent: taléſque homines pauci numero, vniuerſos, vt ita dixerim, homines prælio ſuperarent. Nam quis ſanę mentis non intelligat, eum qui fratrẽ ac proximum verè amat, nõ poſſe vllo pacto amicũ in periculo deſerere, aut graui vitæ diſcrimine non omni opera & di

& diligentia amato ſuccurrere? Vt ergo ſolet amicitia ciuium, ignauos quoſq; inflammare, & ad virtutem diuinos reddere, ita vt viris fortiſsimis pares reddat, & inſuperabilem Rempub. æternámque efficiant, nõ ſecus ciuium odia, & graues diſſenſiones, atque tumultus ciuiles, ciuitatẽ ſolent delere funditus ac deuaſtare. Quæ cùm ita habeant, prudenter ſatis propheta Nahum inter cætera argumenta certiſſima venturæ cladis ampliſsimæ ciuitatis Aſſyriorum פֶּרֶק commemorat, ideſt, diſſidia, diſſenſiones, intima odia, diſcordiæ, quæ omnia ex cupiditatibus maiori ex parte naſcuntur. Nulla eſt enim domus (vt Cicero inquit) tam ſtabilis, nulla ciuitas tam firma, quæ non odiis ac diſsidiis poſsit euerti. Notiſsimum eſt iudiciũ illud Empedoclis de tota natura, quæcunque in orbe conſtarent, quæque moue rentur ea contrahere amicitiam, diſsipare concordiam.

Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, equitis aſcendentis, & emicantis gladij & fulgurantis haſtæ, & multitudinis interfectæ & grauis ruinæ, neque eſt finis cadauerũ, & corruẽt in cor

poribus

poribus ſuis, propter multitudinē fornicationū, meretricis ſpecioſæ & gratæ, & habētis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus ſuis, & familias in maleficiis ſuis.

QVorſum ſpectat hæc Babyloniorum ad bellum ſe parantiū deſcriptio elegantiſsima? Diuina bonitas quādiu poteſt verbis hominum ingenia, & quidem mollibus curare, ita vt facienda ſuadeat, cupiditatem æqui & honeſti animis conciliet, faciátque vitiorum odium, & virtutis pretium demonſtret, hanc ſemper medēdi ſeruat rationem, primáſque curationis partes hinc ducere ſolet. Sic olim Niniuitis medebatur miſſo Iona propheta, qui pœnitentiam prædicaret, & in virtutis excitaret ſtudium. Sed cùm ad antiqua ſcelera ciuitas ampliſsima relaberetur, tranſit ad triſtiorem orationē, qua monet, exprobrat, terret, vt nouiſsime tandem ad pœnas irreuocabiles decurrat, vltimáq; ſupplicia, vltimis ſceleribus ponat. Quanuis ergo animum ira cumulatum belli deſcriptio ſignificet & diuinam mentem vltionis auidam, ſed pacatiſsimo diuinitatis pectori pernicioſum hoc vitium hærere non poſſit: ſcit tamen peritus medicus comminationem

tionem interdum caſtigationem etiã ſynceram & cum ratione coniunctã, tum maximè cum neque amore neque ſummis beneficiis nos non poteſt conſtringere. Quẽadmodum enim hoſtilia quædam detorta, vt corrigamus manibus in diuerſam partem flectimus, quod ſi non ſuccedat, adurimus, & adactis cuneis non vt frangamus, ſed vt explicemus elidimus: ſic magnus medicus & ingenia vitiò praua, & intractabiles ſcelere & flagitio animos, blandioribus verbis interdum, interdum terrificis, dolore nonnunquam animi, nõnunquam corporis corrigit. Medicæ artis peritus, primò leui quacunque ægritudine tentat non multum ex quotidiana conſuetudine inflectere, & cibis & potionibus, & exercitationibus ordinem ponere, ac valetudinem firmare, mutata ciborũ & motuum ratione. Quòd ſi parum proficiat, ſubducit aliqua & circumcidit. quòd ſi ne adhuc quidem reſpondet, cibis interdicit, & abſtinentia corpus exonerat. Si verò fruſtra meliora ceſſerunt, ferit venam, membríſque ſi adhærentia nocent, & morbum diffundunt, manus affert, neque vlla ſibi dura aut aſpera videtur curatio, cuius

eſt ſalutis effectus. Hoc vno medentibus diſsimilis eſt ſummus ille Deus, quòd medici eos quibus vitam largiri non poſſunt facilè deſperant, Deus tametſi teneat probè quantũ quiſque in ſceleribus proficere debeat, quales debeat ipſa procuratio exitus habere, nunquã tamen aut deterrendo verbis, aut factis corripiẽdo ceſſat mederi. Liceat proinde in verbis propheticis, & bellica deſcriptione ſummam Dei humanitatẽ, mitem & paternum in viros Niniuitas animum (quia non peccantes perſequi ſed reuocare cõtendit) intueri. Itaque cùm audis equos frementes, & vocem flagelli, & quadrigas feruentes, & grauiſsimas ruinas, & iacentia cadauera, quaſi viæ ignorantes, & errantes per agros, vides Deum, Niniuitas ad rectum iter admonere, & admonitione corrigentem impios, & molliter & aſperè. Hoc ſemper in omni animaduerſione ſeruat ille, vt primam ſemper adhibeat, ad emendandos malos, alteram vt tollat impietatem, atque in vtraque non tam præterita quàm futura intuetur. Hoc eſt: punit (vt Plato inquit) non tam quia peccatum eſt, quàm vt non peccetur, quãuis & illa ſæpè caſtiget. Nomẽ flagelli quidam

dam ad imperium Babyloniorum in Aſſyrios ſæuientium, quidam verò ad funiculos intextos, quibus apud veteres equi excitabãtur in curſum, cũ nõ eſſet adhuc calcariorum vſus apud illos. Ruina grauis totius ciuitatis miſerandum excidium ſignificat, vt exiſtimo: & in corporibus cadere incredibilẽ occiſorum multitudinẽ, oculis Aſſyriorum ſubiectã. Tanta (inquit) multitudo interfectorũ erit, vt in cadauera corruant, & impingant Aſſyrij. Cætera ſunt apertiſsima, vſq; ad eũ locũ, Propter multitudinem fornicationũ &c. Cùm ſit igitur ſcelerum ac flagitiorum, non vna aut ſimplex ratio, ſed varia & multiplex, Diuina Philoſophia variis etiam longéque diſsimilibus appellationibus ea ipſa ſcelera, & impietates hominum, & debitas ſceleribus pœnas explicat. Niniuem in ſuperioribus aquarum piſcinam, & mulierem parturiẽtem, luſtrum leonum, ciuitatémq; ſanguinariam appellauerat. Nunc verò eam aſsimilat ſcorto ſpecioſiſsimo, habenti maleficia, & vendenti gentes in maleficiis ſuis. Vnde ergo ſimplex & apertum hoc ſapientiæ genus in tam variam & multiplicem docendi rationẽ, ſenſum

ſum traductum ſit? Nam inter ipſa initia hominis naſcentis, facienda tantum vitandáque proponebat, quemadmodum cæteræ artes, quarum ſubtilitas in proceſſu maximè creuit. Tunc enim non opus erat, remediis adeò diligentibus, nondum tantopere nequitia ſurrexerat, neque tam latè ſe ſparſerat, ob eámque rem poterant tunc malis omnibus ſuccurrere ſimpliciora remedia. Nunc verò creſcente peccandi ſtudio neceſſarium erat operoſiora adhiberentur medicamenta, quoniam plura erant, & maiora ea quibus homines peterentur. Fuit olim medicina paruarum her barum ſcientia, quibus aut ſiſteretur fluxus ſanguis, aut vulnera coirēt paulatim, deinde venit in hanc tam multiplicem varietatem. Neque mirum eſt tunc illam minus habuiſſe negotij, firmis, adhûc ſolidíſque corporibus, & facili cibo, neque per artem aut voluptatē corruptis. Poſtquàm verò mille conditurę inuentæ ſunt, quibus auiditas comedendi excitaretur, cœpit medicina varia excogitare remedia, quibus impeditis morbis, ac variis occurreret. Idem profectò ego iudico de Diuiniori ſcientia ſacris cõſignata literis. Fuit enim

enim aliquando ſimplicior inter minora peccantes, & leui cura medicabiles, poſtquàm verò profligata virtute & pietate tanta morum euerſio facta eſt, nihil nõ efficit & tentat, vt implicatis animorum ægritudinibus medeatur. & vtinam ſic lues iſta ac periculoſa peſtis vincatur. Si igitur Aſſyrij bellis tantum ac cædibus & rapinis vacaſſent, ſatis vtique fuiſſet ad exagitandas illorum impietates, Leonum & ferarum ſpelæam illorum ciuitatem appellare, vt pote quæ eſſet prædonum certiſsimum domicilium ac ſedes. Si ſtulta tantum exiſtimatione, & corruptione iudiciorum laboraſſent, ita vt imperium florentiſsimum, & ciuitatem diuitiis & opibus fœlicem & opulentam, æterna arbitrarentur inſtar piſcinæ in quam viuentes influerent aquæ, ad comprimendam illorum dementiam, ſola irriſio prophetica abundè ſufficeret cùm dixit, Et Niniue quaſi piſcina aquarũ, &c. Si tenues & pauperes expilaſſent duntaxat, ſanguinum commemoratione facta, non eſſet opus aliam excogitare vocem ad aperienda delicta hominum perditorum. Nunc verò quia præterea quæ diximus multis aliis ſceleribus ciuitas erat

corrupta, falſa Deorum religione, maximè & dæmonum pernicioſo cultu, fornicariam illam appellat, & habentem maleficia & carmina ad flectendos animos hominum. Neque enim pernicioſo errore, tantum tenebatur ipſa, ſed in cæteras regiones & vrbes, quas ſuo ſubegiſſet imperio, eaſdem cum dæmone fornicationes, & nefandos inuexit cultus. Aduerſus itaque tam potentem, explicatúmque latiſsimè furorẽ, operoſius diuina Philoſophia remedium adhibet: vt vbi maior eſt morum peruerſitas præſentiori medicamento, omnino inueteratam excutiat ægritudinem. Illud autem diligẽtius eſt animaduertendũ, quid fuerit cauſæ, quod ad exagitãdam impietatem, longè pernicioſam, & falſas Deorum religiones diuina ſcriptura, eam ſemper fornicariæ & fornicationis Metaphoram vſurpet, quaſi hac ſimilitudine ſemper vehementius delectata? Eſai. cap. 1. Ciuitati Hieruſalem exprobrat idolorum cultum, his verbis, Quomodo facta es meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Hierem. 2. ſub omni ligno frondoſo proſtrabaris meretrix. Et cap. 3. Frons meretricis tibi facta eſt. Et cap. 5. In domo meretri

retricis luxuriabātur. Sed cùm antiqui vates in populum Iſraeliticum hoc genus impietatis acriter reprehenderent, non tantū ſcortationem, & meretricium, ſed adulterium multo magis obiiciebant. Cùm autē reliquas gentes ſceleris grauiſsimi inſimularent, fornicationem tantum commemorabant. Trahitur hæc loquendi diuerſitas, ex vario aliarum gentium & populi Iudæorum ſtatu. Vt enim gentem Iſraeliticā ſponſam & coniugem Hierem. 2. appellat, & aliâs ſæpiſsimè, ita etiam & falſorum Deorum cultum omnem, adulterium. Sic habet Hier. cap. 2. Recordatus ſum tui miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem diſpenſationis tuæ, quando ſequuta es me in deſerto &c. Cùm enim veterem Synagogam ex Aegypto eduxiſſet, eam ſibi in matrimonium copulauit, egregiæq; charitatis & amoris incredibilis magnas dedit & apertas ſignificationes. Contulit prætereà donaria, & magnæ æſtimationis monilia, nempe legis præcepta, mandata, inſtituta, ſanctificationes, quæ ſunt à nobis in Canticum Canticorū Salomonis diligentiſsimè explicata. Rupto deinde coniugali fœdere, & antiqua fide violata, audiebat,

A ſeculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, dixiſti, non ſeruiam. In omni enim colle ſublimi, & omni valle frondoſo &c. Antiquitus enim amæna loca, & vmbris arborum opaca idolis dicabantur. Cæterùm cùm gentes alias, non tanta ſibi charitate copulatas poſtremæ huius impietatis argueret, non adulterium ſed fornicationem increpat, quòd non eſſent per fidem, quemadmodũ gens Iſraelitica ſpõſi amplexibus iunctæ. Quod ergo alienos cultus, & defectionem à vera religione fornicationem frequenter appellant, & Nahum præſenti oraculo, & alij vates ſæpiſsimè, cauſa fuit, vt exiſtimo, quo ſceleris & impietatis huius atrocitatem exprimerẽt. Vetus enim religio ſub inſtitutis Moſaicis Deuter 23 non tantùm ſcortationem, ſeu fornicationem auerſabatur, ſed & omnem proſtibuli mercedem. Lex enim erat ne ex filiabus Iſrael quæpiã corpus locaſſet, néve mercedem meretricis in templum liceret inferre, tanquàm quęſtus fornicatione paratus, impius & nefarius à ſummo Deo haberetur. Igitur quoniam ſcortatio ex autoritate legis res omnino nefanda, apud gentem illam eſſet: grauiſsimum ſcelus

lus deſertæ religionis veræ, & pernicioſi cultus, fornicationem dixêre. Deinde cùm in coniugio, aut corporis & carnis integritate ſeruata, vt ſummæ fidei ita etiam & ſummæ cõſtantiæ ſpecies cernitur, ita etiã in ſcortatione ſummæ inconſtantiæ & infidelitatis imago perſpicitur. Nulli enim fidem ſeruare poſsit, quæ nullo ſeruato diſcrimine omnibus ex æquo ad explendas ſummas libidines ſe proſtituit. Quo fit, vt quoniam ſummo Deo tanquam creatori, moderatori, ſeruatori rerum omnium, omniúmque bonorum cauſa, hæc fides debetur à Græco, Sarmata, Scytha, Barbaríſque omnibus iure huius violatæ fidei rationem, fornicationem, & ſcortationem ſcriptura appellat. Accedit ad hæc, quòd pudor & verecũdia, ſine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum, quãuis homini inter cæteras animantes ſit à natura tributa, fœminis tamen tanquam frænum ad cohibendam omnem petulantiam, iniectum fuit, ne videlicet, in omnem libidinem irẽt præcipites. Sublato enim pudore & verecũdia, nullum eſt tam graue facinus, quod non impudenter admittãt. Non ſecus cùm certa religione homines teneremur, pu-

dor ipſe & verecundia omnia conſpicientis Dei, nos retinet in officio, à qua ſi ſemel deficiamus, & lapides colamus & ligna, nullum profectò erit genus peccati, quod non conſertis omnino manibus amplectamur, inſtar impudentis meretricis, quæ in omnes libidinis ſpecies ſe coniecit. Nullus prætcrea ignorat, quanta ſemper apud homines vilitas, quantus cõtemptus & abiectio profligatum pudorem, & ſtudiũ libidinis ſequatur. Nemo enim (vt arbitror) eſt qui non ſordidiſsimam iudicet, & contemptam omnino fœminam, cuius forma parum videtur integra. Quocirca magnus ille Deus, cùm idololatriæ ſcelus increpat, fornicationem, & autores criminis fornicarios appellat & ſcorta, vt mortales intelligant, à quanto dignitatis deturbati faſtigio, in poſtremam vtilitatem & abiectionem ſe vltro coniecerint, nullóq; iam apud Deũ numero eſſe, nulla æſtimatione eum qui falſas & pernicioſas religiones ſemel ſuſcepit. Igitur quoniam deſerto vero marito, nouos concubitus adultera quærit, & relicto vero Deo, noui Dei quæruntur impiis & perfidis, honeſtate ac pudore conculcatis, ſe libidinibus explent

ſcor

ſcortum viliſsimum imitantur. Perdita enim fide ac iuſtitia, per omnem luxuriem impudenter graſſantur. Hinc fit, vt omne genus flagitij ſcriptura adulterium nunc, nunc verò fornicationem appellet, & latini adulterinum dicunt, quidquid vitiatum & corruptum eſt. Hinc etiam ſcriptura, virginem vocat populum ſyncerę fidei, vt caſtitas & integritas carnis, & corruptio pro pietatis figura & impietatis habeantur. Sic Oſee 1. & 2. Metaphora ſumitur ab vxore & viro, ſpōſo & ſponſa. Eo loquē di tropo virgines appellantur, qui Dei verbum ſeruant, purū & impermixtum, quæ ratio virginitatis magna eſt, apud ſummū Deum æſtimatione, adeò vt Hieremias dicat, Domine oculi tui fidem reſpiciūt. Pau. ad Corinth. Scribens, deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. In eā rē ſpectat loquutio illa Paulina, excidere à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto Ieſu. Deficimus enim à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto, cùm à fide & ſimplici doctrina, ad vanas doctrinas, & vaniſsima quorūdā hominū cōmēta deficimus. Hûc ſpectat quidquid apud Regiū prophetā habetur de virginibus quæ Regi Chriſto poſt principem

Reginam adducuntur,quidquid apud Salomonem,de adoleſcentulis,quæ ſponſam comitantur: Niniuem proinde ciuitatem ſpecioſam & gratam appellat,ſiue propter Monarchiam,quæ per id tēpus penes Aſſyrios erat,ſiue propter ciuitatis amplitudinem & ornatum. Quæ autem cōmemorat de maleficiis & incantamētis,partim à natura rerum,partim à conſuetudine ducuntur. Nam quemadmodum à viris doctiſsimis proditum eſt,neceſſarium ſemper eſt ſymbolum quoddã,& veluti cognatio,inter recipiētem materiam & receptam formam,& quò temperatius eſt quod recipit, eò præſtantior & excellentior à ſummo Deo forma infunditur. Ob eámque rem, quia corpus humanum mundius eſt,& elegantius,& ad optimum temperamentum proprius accedit,excellentem formam,rationis & intelligentiæ compotem accipit: At verò corpora reptilium,quoniam immunda ſunt & ſordida,ſordida & immunda animantia profert. Ad eundem modum cùm Chriſtiana Philoſophia, inter mundos ſpiritus & immundos frequēter diſtinguat,qui immundus eſt,ſordido cuique & obſceno corpori commiſcet: vt meretri-

cum

cum, lamiarum,& maleficarum. Contrà ſpiritus mundus, non habitat in corpore ſubdito peccatis,ſed munda ſemper corpora,mundóſque animos, vehementer expetit. Hinc ſtultitiam illam & dementiã profectam crediderim,quam Pau.ad Rom.1. cap.acriter exagitat aduerſum ſapientes ſeculi huius,quòd gloriam magni Dei,ad volucrum & quadrupedum,& ſerpentum formam,traduxerint. Spiritus itaque immundus faciliorem ſe præbet, magíſque promptum ſuis cultoribus,quo ſordidioribus carnis oblectamentis indulgent, inquæ ſemper prona eſt hominũ vitiata natura. Sapienter itaque tota diuina ſcriptura cum fornicationibus,& libidinibus petulantium fœminarum maleficia ſemper & incantamenta coniungit,quæ dæmonis ope fiunt. ſimilibus enim corporibus gaudet ille, ac ſupra quàm credi poteſt oblectatur. Si autem conſuetudinem attendas, quæ naturæ vim obtinet, vix vnquam inuenies apud veteres poetas aut oratores fœminam aliquã perditam libidine fuiſſe, quin veneficia & incantamẽta illi tribuãt. Talem ferunt Circem fuiſſe,& meretricẽ & magam. Niniues ergo ciuitas fornica-

tione & libidine corrupta cæteras gentes carminibus & veneficiis recantabat, mentéque & ratione pellebat, vt in amores falſorum Deorum, & dæmonum amplexus pertraheret, & in omne denique genus flagitij impelleret. Illud verò intentis eſt animis conſiderandum, quod poſtremo loco repoſuit proph. Vendidit (inquit) gentes in fornicationibus ſuis, & familias in maleficiis ſuis. His enim verbis non tantũ idololatriæ ſcelus taxat, ſed & primam eius originem, primáque initia in memoriam reuocat, vt quibuſdã viſum eſt. Ninus enim, vt Beroſus Chaldæus teſtatur, primus omnium templum celeberrimum, bello patri, & matri Iunoni, & Rheæ auiæ & ſtatuas publicè dicauit. In ea ſententia ſunt, tum autores Hebræi tũ Lactantius, quãuis Diodorus hoc ſcelus Semiramidi videatur tribuere, quæ vaſtiſsimas & miranda magnitudine argenteas & aureas ſtatuas erexit, poſtquam Babylonem in prægrandem extruxit vrbem. Lactantius alio in loco Ciceronem ſequutus, de prima idololatriæ mentione ſic habet. Reges olim cùm Chari fuiſſent iis, quorum vitam compoſuerãt, magnũ ſui deſiderium in morte relique

liquerunt. Finxerũt ergo homines, eorum ſimulachra, vt haberent aliquod ex imaginum contemplatione ſolatiũ. Longius verò per amorem meriti progreſsi, memoriam defunctorum colere cœperũt, vt gratiam referre benè meritis viderentur, & ſucceſſores allicerent, ad benè operãdi cupiditatem. Diſcant hoc loco, qui magnas vrbes & opulentas proprio arbitrio & imperio moderantur, quantum in omnem vitæ partem momentum habeat, ita ciuium mores componere, & in ſtudium pietatis incitare, vt ſit princeps ciuitas & aliarum Regina tanquam religionis domicilium, & certiſsima ſedes. Vt enim iſtius modi ciuitates ſuo exemplo aliis ſolent locis, & gentibus virtutis facere deſiderium, & rebus honeſtis pretium imponere, ita etiam impia peccandi conſuetudine mores inficere, bona & optima ſtudia corrumpere, & in omne denique genus flagitij propria autoritate pertrahere.

Ecce ego ad te dicit dominus & reuelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam in gentibus nuditatẽ tuam, & Regnis ignominiam tuam, & proijciam ſuper te abominationes, & contumelijs te afficiam, & ponam te in exẽplum.

Per

PErſtat adhuc in Metaphora, ſemel aſſumpta meretricis ac fœminæ ſpecioſæ. Nihil eſt quod maiori ſolicitudine atque ſtudio fœminæ impudicæ maximè ſeruare videãtur, huius fluxæ formæ pulchritudine delectatæ, quàm vt in illis nulla prorſum fœditas appareat, quæ intuentium oculos poſsit offendere. Quòd ſi canis ſit caput reſperſum, ſi ſquallentes rugæ frontem arare incipiunt, ſi ſcaber ſitus obducat dentes, ſi leue guttur aliquantulum criſpetur, àridæ appareant manus, pedes recurui, incredibile eſt quanta diligentia hæc omnia occultantur. Tanti fit apud ſtultas fœminas leue hoc, & momentaneum corporis accidens. Ea igitur pœna grauiſsima cenſenda eſt inter cæteras, quæ à fœmina impudica & petulanti poſſunt deſumi, quæ leuem aliquam corporis fœditatem aliorum oculis contemplandam & conſpiciendam præbet, cùm nihil æquè aduerſetur illa. Eſt autem ita natura comparatum, vt quæ nobis videntur optima, & præſtabilia ad conciliandam multorum beneuolentiam & amicitiam, ac nominis celebritatem; aliorum oculis libenter contemplanda obtru

trudamus. Si quæ autem ſunt cum dedecore & vitio coniuncta, hęc ſolicitè occultamus. Clara domo quiſpiam natus eſt, & nobili familia, vehementer cupit omnibus innoteſcat domeſticus ſplendor. Notam aliquā infamiæ aut dedecoris maiores propter vitæ improbitatem ſuo vitio contraxêre, credi vix poſsit, quas huic malo tenebras offundimus, & intra latibula & receſſus abditiſsimos tenemus ne prodeat in publicum. Diues aliquis eſt, vitæ innocentia mirabilis, doctus, eloquens, nemo penè ſit qui non cupiat hæc omnia omnibus ſint quàm notiſsima, quòd nonnihil admirationis habeant, & magnam de nobis aliorum animis excitare exiſtimationem poſſunt. Poſtulat ergo Diuina iuſtitia & æquitas, vt quoniam hæc cæca noſtri indulgentia à tumore mentis, & incredibili arrogantia naſcitur, quæ nos Diuinis legibus & mandatis contemptis, & pietate animi profligata, magno ſtudio aut occultauimus, aut conſpicienda obiicimus breui temporis decurſa rebus in diuerſum mutatis, illa proferantur in publicum, quæ dedecore & ignominia nos afficere poſſunt, ea verò in ſempiternā obliuionem

uionem eant, quæ nobis nominis celebritatem aliquam & gloriam apud mortales malè conciliarunt. Eſt enim proprium hominis ac peculiare ſupplicij genus pudore affici ac rubore. Quæ vt ſunt omnium virtutum cuſtodes, quibus interdum magnam conſequimur laudem, ita etiam ſunt poſt facinus & peccatum & fœditatem animi detectam, humanæ conſcientiæ graues carnifices & tortores. Itaque quoniam hoc ſolum animal natum eſt pudoris & verecundiæ compos, non abs re tanquam grauiſſimum omnium ſupplitium Niniuitis infertur, ita vt reuelentur & aperiantur hominibus illorum fœditates, omnibus innoteſcat nuditas, egeſtas, ignominia, & denique in exemplum poſiti omni cumulentur dedecore, infamia, contumelia. Cætera ſupplitiorum genera ſunt nobis cum beluis communia, vt morbis conflictari, igne exuri, diuerſis affici cruciatibus. Sentiuntur enim hæc ab animantibus brutis, pudore verò & verecundia tangi proprium, vt diximus, hominis eſt. Sed quænam eſt nuditas illa, & ignominia magnæ meretricis, hominibus aperienda in

exem

exemplum? Cum homines rerum omniũ potiuntur & fœlici ſemper ac ſine vlla offenſione fortunæ, mirum eſt, quanta illos ſequatur gloria, quæ laudes, quæ virtutis, potentiæ, iuſtitiæ præconia. Prodeunt ſtatim adulantium ſuſurri, & nomen malè partum, & celebritas multis quæſita impietatibus in cœlum vſque euehitur. Tolle Regiam dignitatem, & maieſtatem imperij, tolle fortunas, & corporeæ vitæ ornamenta, quæ ſtulti mirantur & amant, videbis impudicæ fœminæ & libidine perditæ, videbis profligatorum hominum nuditatem, ignominiam, dedecus, omnes denique ruboris & poſtremæ verecundiæ cauſas, videbis quæ prædicabat vulgus falſa eſſe, quæ probabat mala, quę mirificis laudibus extollebat indigna, quę ab homine probo, vel ſummo ore aſſumẽtur. Tum quos antea bonos optimos, ſeruatores, patres patrię, homines appellabant, ſublatis omnibus vitæ ornamentis hoſtes iam atq; tyrannos, rebus publicis inimicos, legibus per omnia infenſos, prædones, graſſatoréſque dicunt. Rapitur enim ſtultum vulgus magno impetu in quam partem Domina

A ſeculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, dixiſti, non ſeruiam. In omni enim colle ſublimi, & omni valle frondoſo &c. Antiquitus enim amœna loca, & vmbris arborum opaca idolis dicabantur. Cæterùm cùm gentes alias, non tanta ſibi charitate copulatas poſtremæ huius impietatis argueret, non adulterium ſed fornicationem increpat, quòd non eſſent per fidem, quemadmodũ gens Iſraelitica ſpõſi amplexibus iunctæ. Quod ergo alienos cultus, & defectionem à vera religione fornicationem frequenter appellant, & Nahum præſenti oraculo, & alij vates ſæpiſsimè, cauſa fuit, vt exiſtimo, quo ſceleris & impietatis huius atrocitatem exprimerẽt. Vetus enim religio ſub inſtitutis Moſaicis Deuter 23 non tantùm ſcortationem, ſeu fornicationem auerſabatur, ſed & omnem proſtibuli mercedem. Lex enim erat ne ex filiabus Iſrael quæpiã corpus locaſſet, néve mercedem meretricis in templum liceret inferre, tanquàm quęſtus fornicatione paratus, impius & nefarius à ſummo Deo haberetur. Igitur quoniam ſcortatio ex autoritate legis res omnino nefanda, apud gentem illam eſſet: grauiſsimum ſcelus

lus deſertæ religionis veræ, & perničioſi cultus,fornicationem dixêre. Deinde cùm in coniugio,aut corporis & carnis integritate ſeruata,vt ſummæ fidei ita etiam & ſummæ cõſtantiæ ſpecies cernitur,ita etiã in ſcortatione ſummæ inconſtantiæ & infidelitatis imago perſpicitur. Nulli enim fidem ſeruare poſsit,quæ nullo ſeruato diſcrimine omnibus ex æquo ad explendas ſummas libidines ſe proſtituit. Quo fit,vt quoniam ſummo Deo tanquam creatori, moderatori, ſeruatori rerum omnium,omniúmque bonorum cauſa,hæc fides debetur à Græco,Sarmata,Scytha,Barbaríſque omnibus iure huius violatæ fidei rationem, fornicationem, & ſcortationem ſcriptura appellat. Accedit ad hæc, quòd pudor & verecũdia,ſine qua nihil rectum eſſe poteſt,nihil honeſtum,quãuis homini inter cæteras animantes ſit à natura tributa,fœminis tamen tanquam frænum ad cohibendam omnem petulantiam,iniectum fuit,ne videlicet,in omnem libidinem irẽt præcipites. Sublato enim pudore & verecũdia,nullum eſt tam graue facinus,quod non impudenter admittãt.Non ſecus cùm certa religione homines teneremur, pu-

dor ipſe & verecundia omnia conſpicientis Dei, nos retinet in officio, à qua ſi ſemel deficiamus, & lapides colamus & ligna, nullum profectò erit genus peccati, quod non conſertis omnino manibus amplectamur, inſtar impudentis meretricis, quæ in omnes libidinis ſpecies ſe coniecit. Nullus prætcrea ignorat, quanta ſemper apud homines vilitas, quantus cõtemptus & abiectio profligatum pudorem, & ſtudiũ libidinis ſequatur. Nemo enim (vt arbitror) eſt qui non ſordidiſsimam iudicet, & contemptam omnino fœminam, cuius forma parum videtur integra. Quocirca magnus ille Deus, cùm idololatriæ ſcelus increpat, fornicationem, & autores criminis fornicarios appellat & ſcorta, vt mortales intelligant, à quanto dignitatis deturbati faſtigio, in poſtremam vtilitatem & abiectionem ſe vltro coniecerint, nullóq; iam apud Deũ numero eſſe, nulla æſtimatione eum qui falſas & pernicioſas religiones ſemel ſuſcepit. Igitur quoniam deſerto vero marito, nouos concubitus adultera quærit, & relicto vero Deo, noui Dei quæruntur impiis & perfidis, honeſtate ac pudore conculcatis, ſe libidinibus explent

ſcor

ſcortum viliſsimum imitantur. Perdita enim fide ac iuſtitia, per omnem luxuriem impudenter graſſantur. Hinc fit, vt omne genus flagitij ſcriptura adulterium nunc, nunc verò fornicationem appellet, & latini adulterinum dicunt, quidquid vitiatum & corruptum eſt. Hinc etiam ſcriptura, virginem vocat populum ſyncerę fidei, vt caſtitas & integritas carnis, & corruptio pro pietatis figura & impietatis habeantur. Sic Oſee 1. & 2. Metaphora ſumitur ab vxore & viro, ſpōſo & ſponſa. Eo loquẽdi tropo virgines appellantur, qui Dei verbum ſeruant, purũ & impermixtum, quæ ratio virginitatis magna eſt, apud ſummũ Deum æſtimatione, adeò vt Hieremias dicat, Domine oculi tui fidem reſpiciũt. Pau, ad Corinth. Scribens, deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. In eã rẽ ſpectat loquutio illa Paulina, excidere à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto Ieſu. Deficimus enim à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto, cùm à fide & ſimplici doctrina, ad vanas doctrinas, & vaniſsima quorũdã hominũ cõmẽta deficimus. Hûc ſpectat quidquid apud Regiũ prophetã habetur de virginibus quæ Regi Chriſto poſt principem

Reginam adducuntur, quidquid apud Salomonem, de adoleſcentulis, quæ ſponſam comitantur: Niniuem proinde ciuitatem ſpecioſam & gratam appellat, ſiue propter Monarchiam, quæ per id tēpus penes Aſſyrios erat, ſiue propter ciuitatis amplitudinem & ornatum. Quæ autem cōmemorat de maleficiis & incantamētis, partim à natura rerum, partim à conſuetudine ducuntur. Nam quemadmodum à viris doctiſsimis proditum eſt, neceſſarium ſemper eſt ſymbolum quoddã, & veluti cognatio, inter recipiētem materiam & receptam formam, & quò temperatius eſt quod recipit, eò præſtantior & excellentior à ſummo Deo forma infunditur. Ob eámque rem, quia corpus humanum mundius eſt, & elegantius, & ad optimum temperamentum proprius accedit, excellentem formam, rationis & intelligentiæ compotem accipit. At verò corpora reptilium, quoniam immunda ſunt & ſordida, ſordida & immunda animantia profert. Ad eundem modum cùm Chriſtiana Philoſophia, inter mundos ſpiritus & immundos frequēter diſtinguat, qui immundus eſt, ſordido cuique & obſceno corpori commiſcet: vt meretricum

cum, lamiarum,& maleficarum. Contrà ſpiritus mundus, non habitat in corpore ſubdito peccatis, ſed munda ſemper corpora, mundóſque animos, vehementer expetit. Hinc ſtultitiam illam & dementiã profectam crediderim, quam Pau. ad Rom. 1. cap. acriter exagitat aduerſum ſapientes ſeculi huius, quòd gloriam magni Dei, ad volucrum & quadrupedum, & ſerpentum formam, traduxerint. Spiritus itaque immundus faciliorem ſe præbet, magíſque promptum ſuis cultoribus, quo ſordidioribus carnis oblectamentis indulgent, in quæ ſemper prona eſt hominũ vitiata natura. Sapienter itaque tota diuina ſcriptura cum fornicationibus, & libidinibus petulantium fœminarum maleficia ſemper & incantamenta coniungit, quæ dæmonis ope fiunt. ſimilibus enim corporibus gaudet ille, ac ſupra quàm credi poteſt oblectatur. Si autem conſuetudinem attendas, quæ naturæ vim obtinet, vix vnquam inuenies apud veteres poetas aut oratores fœminam aliquã perditam libidine fuiſſe, quin veneficia & incantamẽta illi tribuãt. Talem ferunt Circem fuiſſe, & meretricẽ & magam. Niniues ergo ciuitas fornica-

PErſtat adhuc in Metaphora, ſemel aſſumpta meretricis ac fœminæ ſpecioſæ. Nihil eſt quod maiori ſolicitudine atque ſtudio fœminæ impudicæ maximè ſeruare videãtur, huius fluxæ formæ pulchritudine delectatæ, quàm vt in illis nulla prorſum fœditas appareat, quæ intuentium oculos poſsit offendere. Quòd ſi canis ſit caput reſperſum, ſi ſqualentes rugæ frontem arare incipiunt, ſi ſcaber ſitus obducat dentes, ſi leue guttur aliquantulum criſpetur, aridæ appareant manus, pedes recurui, incredibile eſt quanta diligentia hæc omnia occultantur. Tanti fit apud ſtultas fœminas leue hoc, & momentaneum corporis accidens. Ea igitur pœna grauiſsima cenſenda eſt inter cæteras, quæ à fœmina impudica & petulanti poſſunt deſumi, quæ leuem aliquam corporis fœditatem aliorum oculis contemplandam & conſpiciendam præbet, cùm nihil æquè aduerſetur illa. Eſt autem ita natura comparatum, vt quæ nobis videntur optima, & præſtabilia ad conciliandam multorum beneuolentiam & amicitiam, ac nominis celebritatem; aliorum oculis libenter contemplanda obtru

trudamus. Si quæ autem ſunt cum dedecore & vitio coniuncta, hęc ſolicitè occultamus. Clara domo quiſpiam natus eſt, & nobili familia, vehementer cupit omnibus innoteſcat domeſticus ſplendor. Notam aliquã infamiæ aut dedecoris maiores propter vitæ improbitatem ſuo vitio contraxêre, credi vix poſsit, quas huic malo tenebras offundimus, & intra latibula & receſſus abditiſsimos tenemus ne prodeat in publicum. Diues aliquis eſt, vitæ innocentia mirabilis, doctus, eloquens, nemo penè ſit qui non cupiat hæc omnia omnibus ſint quàm notiſsima, quòd nonnihil admirationis habeant, & magnam de nobis aliorum animis excitare exiſtimationem poſſunt. Poſtulat ergo Diuina iuſtitia & æquitas, vt quoniam hæc cæca noſtri indulgentia à tumore mentis, & incredibili arrogantia naſcitur, quæ nos Diuinis legibus & mandatis contemptis, & pietate animi profligata, magno ſtudio aut occultauimus, aut conſpicienda obiicimus breui temporis decurſa rebus in diuerſum mutatis, illa proferantur in publicum, quæ dedecore & ignominia nos afficere poſſunt, ea verò in ſempiternã obliuionem

uionem eant, quæ nobis nominis celebritatem aliquam & gloriam apud mortales malè conciliarunt. Eſt enim proprium hominis ac peculiare ſupplicij genus pudore affici ac rubore. Quæ vt ſunt omnium virtutum cuſtodes, quibus interdum magnam conſequimur laudem, ita etiam ſunt poſt facinus & peccatum & fœditatem animi detectam, humanæ conſcientiæ graues carnifices & tortores. Itaque quoniam hoc ſolum animal natum eſt pudoris & verecundiæ compos, non abs re tanquam grauiſsimum omnium ſupplitium Niniuitis infertur, ita vt reuelentur & aperiantur hominibus illorum fœditates; omnibus innoteſcat nuditas, egeſtas, ignominia, & denique in exemplum poſiti omni cumulentur dedecore, infamia, contumelia. Cætera ſupplitiorum genera ſunt nobis cum beluis communia, vt morbis conflictari, igne exuri, diuerſis affici cruciatibus. Sentiuntur enim hæc ab animantibus brutis, pudore verò & verecundia tangi proprium, vt diximus, hominis eſt. Sed quænam eſt nuditas illa, & ignominia magnæ meretricis, hominibus aperienda in

exem

exemplum? Cum homines rerum omniũ potiuntur & fœlici ſemper ac ſine vlla offenſione fortunæ, mirum eſt, quanta illos ſequatur gloria, quæ laudes, quæ virtutis, potentiæ, iuſtitiæ præconia. Prodeunt ſtatim adulantium ſuſurri, & nomen malè partum, & celebritas multis quæſita impietatibus in cœlum vſque euehitur. Tolle Regiam dignitatem, & maieſtatem imperij, tolle fortunas, & corporeæ vitæ ornamenta, quæ ſtulti mirantur & amant, videbis impudicæ fœminæ & libidine perditæ, videbis profligatorum hominum nuditatem, ignominiam, dedecus, omnes denique ruboris & poſtremæ verecundiæ cauſas, videbis quæ prædicabat vulgus falſa eſſe, quæ probabat mala, quę mirificis laudibus extollebat indigna, quę ab homine probo, vel ſummo ore aſſumẽtur. Tum quos antea bonos optimos, ſeruatores, patres patrię, homines appellabant, ſublatis omnibus vitæ ornamentis hoſtes iam atq; tyrannos, rebus publicis inimicos, legibus per omnia infenſos, prædones, graſſatoréſque dicunt. Rapitur enim ſtultum vulgus magno impetu in quam partem Domina

fortuna

fortuna inclinauerit. Cum Niniues multarum gentium obtineret imperium Diuitiis & opibus abundaret fœlicem illam & beatam omnes dicebant, æquitatem verò circa imperij adminiſtrationem, ſummámque rationem iuſtitiæ, clementiam (quæ vna virtus ad ſummam dignitatem adhibenda ſemper eſt) multis præconiis extollebant, poſtquam verò à Babyloniis fuit capta, & euerſa, omni dignitate expoliata, tunc tandem apparuit Tyrannidem fuiſſe, quod exiſtimabatur Regnum cœpit videri ſumma miſeria, quæ antea fœlicitas diceretur, ſordidum & contemptibile, quod antea ſplendidum & magnificum, quod optimum magnáque cum virtute coniunctum, ſcelus, impietas, flagitiũque cœpit appellari. Itaque liceat intueri pulcherrimum ſcortum, & fornicariam fœminam longè omnium ſpecioſiſsimam, quæ ſuis carminibus homines dementaſſet, contemptam, habitámque ludibrio, multis contumeliis affectam, & opprobriis ſaturatam ab eis quos antea habuiſſet amatores, & propriæ venuſtatis admiratores maximos.

Et erit

Et erit omnis qui viderit te, reſiliet à te & dicet, Vaſtata eſt Niniue. Quis commouebit ſuper te caput, vnde quæram conſolatorem tibi? An tu melior es quàm Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus? Aquæ in circuitu eius cuius diuitiæ mare, aquæ muri eius. Aethiopia fortitudo eius & Aegyptus, & non eſt finis, Africa & Lybies fuerũt in auxilio tuo, ſed & ipſa in transmigrationem ducta eſt in captiuitatem, paruuli eius eliſi ſunt in capite omnium viarum & ſuper inclytos eius miſerũt ſortem, & omnes optimates eius confixi ſunt in compedibus.

HYpotypoſis eſt venuſtiſsima, qua exprimitur quantum ſubeat admirationis eorum animos, qui cum paulò antea Niniues fœlicitatem & gloriam & venuſtatem, ſempiterna iudicarent, nunc rerum ſtatu ſubito in contrarium mutato, ciuitate funditus euerſa, omni expoliata gloria & dignitate, ad tantarum fortunarum ruinas, ſtupentes inquiunt, Vaſtata eſt Niniue &c. Vnde potuit meretrix illa ſpecioſiſsima, tantam contrahere fœditatem & turpitudinem? Quo pacto ſpeciem illã inſignem mirabilémque & egregiam formã leuis potuit aura decutere, & inimicæ ma-

nus vnguis decerpere? Vaſtata eſt Niniue domitrix gentium, imperij domina, cuius tam latè patebat dominatio. Sed ſic rerum natura fert, vt quò potentię quiſpiam plus habet, maius etiam in illum fortuna habeat imperium, tepidè enim ſe in paruis exercet, ſemper ſibi elegit vberem materiam, quemadmodum in magna lignorum mole fortiùs ac potentius ſæuit incendiũ. Magna illa Niniues proſperitas, magnos inimicæ fortunæ aperuit aditus. Non eſt ergo diuturna humana fœlicitas, lubrici ſunt humanorum graduum aſcenſus, tremulus vertex, horrendum præcipitium. Antiqua repetamus rerum geſtarum monumenta, inueniemus profectò Niniuem ciuitatem ægrè conſcendiſſe ad imperij culmen, anxiè eo in loco conſtitiſſe, corruiſſe grauiter ac repentè. Optimum ergo & ſolidum gloriæ ac fœlicitatis fundamẽtum virtus eſt & cura pietatis, ſine qua nulla eſt firma potentia: eo enim fundamento detracto, quò maior eò periculoſior ſtructura. Quis commouebit ſuper te caput, aut vnde quæremus conſolatorem tibi? Caput & labia mouere, conſolantium eſt amicorum, per malignam autem imi-

tatio

tationem, & ludibrium & contemptum, ſignificat inſultantium atque irridentium. Iob cap.16.amicorum improbitatem,& in tanta amici afflictione inhumanitatē reprehendens,aiebat, Si vos eſſetis vbi ego ſum,ego ſanè ſuper vos caput mouerem, roborarem caput meum,& conſolatio labiorum &c.Ideſt,apertam doloris ſignificationem darem, & blandioribus verbîs mitigarem,aut omnino extinguerem doloris & acerbitatis veſtræ ſenſum. Regius proph.Dauid Pſal.22.Ego ſum vermis & non homo,opprobrium hominum & abiectio plebis.Omnes videntes me deriſerunt me,loquuti ſunt labiis & mouerunt caput. Contemptui habitus filius Dei,abiectus & vilis præ omnibus mortalibus erit,in cruce verò pēdentem ſubſannabũt plerique & irridebunt capitis commotione,& profuſione labiorum. Pſal.43.de eadem re conqueritur, poſitum ſe videlicet capitis commotionem in populis. Quem locum ad gentem Iudæorum quidam referunt,ſub Antiocho Rege,& Romanorũ imperio afflictam,vbi & capitis cõmotio, ſingulariter delectatos fuiſſe ſignificat hoſtes populi Dei,in tanta calamitate & mi-

dor ipſe & verecundia omnia conſpicientis Dei, nos retinet in officio, à qua ſi ſemel deficiamus, & lapides colamus & ligna, nullum profectò erit genus peccati, quod non conſertis omnino manibus amplectamur, inſtar impudentis meretricis, quæ in omnes libidinis ſpecies ſe coniecit. Nullus prætcrea ignorat, quanta ſemper apud homines vilitas, quantus cõtemptus & abiectio profligatum pudorem, & ſtudiũ libidinis ſequatur. Nemo enim (vt arbitror) eſt qui non ſordidiſsimam iudicet, & contemptam omnino fœminam, cuius forma parum videtur integra. Quocirca magnus ille Deus, cùm idololatriæ ſcelus increpat, fornicationem, & autores criminis fornicarios appellat & ſcorta, vt mortales intelligant, à quanto dignitatis deturbati faſtigio, in poſtremam vtilitatem & abiectionem ſe vltro coniecerint, nullóq; iam apud Deũ numero eſſe, nulla æſtimatione eum qui falſas & pernicioſas religiones ſemel ſuſcepit. Igitur quoniam deſerto vero marito, nouos concubitus adultera quærit, & relicto vero Deo, noui Dei quæruntur impiis & perfidis, honeſtate ac pudore conculcatis, ſe libidinibus explent

ſcor

ſcortum viliſsimum imitantur. Perdita enim fide ac iuſtitia, per omnem luxuriem impudenter graſſantur. Hinc fit, vt omne genus flagitij ſcriptura adulterium nunc, nunc verò fornicationem appellet, & latini adulterinum dicunt, quidquid vitiatum & corruptum eſt. Hinc etiam ſcriptura, virginem vocat populum ſyncerę fidei, vt caſtitas & integritas carnis, & corruptio pro pietatis figura & impietatis habeantur. Sic Oſee 1. & 2. Metaphora ſumitur ab vxore & viro, ſpõſo & ſponſa. Eo loquẽdi tropo virgines appellantur, qui Dei verbum ſeruant, purũ & impermixtum, quæ ratio virginitatis magna eſt, apud ſummũ Deum æſtimatione, adeò vt Hieremias dicat, Domine oculi tui fidem reſpiciũt. Pau. ad Corinth. Scribens, deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. In eã rẽ ſpectat loquutio illa Paulina, excidere à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto Ieſu. Deficimus enim à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto, cùm à fide & ſimplici doctrina, ad vanas doctrinas, & vaniſsima quorũdã hominũ cõmẽta deficimus. Hûc ſpectat quidquid apud Regiũ prophetã habetur de virginibus quæ Regi Chriſto poſt principem

Reginam adducuntur, quidquid apud Salomonem, de adoleſcentulis, quæ ſponſam comitantur. Niniuem proinde ciuitatem ſpecioſam & gratam appellat, ſiue propter Monarchiam, quæ per id tēpus penes Aſſyrios erat, ſiue propter ciuitatis amplitudinem & ornatum. Quæ autem cōmemorat de maleficiis & incantamētis, partim à natura rerum, partim à conſuetudine ducuntur. Nam quemadmodum à viris doctiſsimis proditum eſt, neceſſarium ſemper eſt ſymbolum quoddā, & veluti cognatio, inter recipiētem materiam & receptam formam, & quò temperatius eſt quod recipit, eò præſtantior & excellentior à ſummo Deo forma infunditur. Ob eámque rem, quia corpus humanum mundius eſt, & elegantius, & ad optimum temperamentum proprius accedit, excellentem formam, rationis & intelligentiæ compotem accipit. At verò corpora reptilium, quoniam immunda ſunt & ſordida, ſordida & immunda animantia profert. Ad eundem modum cùm Chriſtiana Philoſophia, inter mundos ſpiritus & immundos frequēter diſtinguat, qui immundus eſt, ſordido cuique & obſceno corpori commiſcet: vt meretri-

cum

cum, lamiarum,& maleficarum. Contrà ſpiritus mundus, non habitat in corpore ſubdito peccatis,ſed munda ſemper corpora,mundóſque animos,vehementer expetit.Hinc ſtultitiam illam & dementiã profectam crediderim,quàm Pau.ad Rom.1. cap.acriter exagitat aduerſum ſapientes ſeculi huius,quòd gloriam magni Dei,ad volucrum & quadrupedum,& ſerpentum formam,traduxerint. Spiritus itaque immundus faciliorem ſe præbet, magíſque promptum ſuis cultoribus,quo ſordidioribus carnis oblectamentis indulgent, inquæ ſemper prona eſt hominũ vitiata natura.Sapienter itaque tota diuina ſcriptura cum fornicationibus,& libidinibus petulantium fœminarum maleficia ſemper & incantamenta coniungit,quæ dæmonis ope fiunt.ſimilibus enim corporibus gaudet ille, ac ſupra quàm credi poteſt oblectatur.Si autem conſuetudinem attendas, quæ naturæ vim obtinet, vix vnquam inuenies apud veteres poetas aut oratores fœminam aliquã perditam libidine fuiſſe, quin veneficia & incantamẽta illi tribuãt. Talem ferunt Circem fuiſſe,& meretricẽ & magam. Niniues ergo ciuitas fornica-

tione & libidine corrupta cæteras gentes carminibus & veneficiis recantabat, ménteque & ratione pellebat, vt in amores falſorum Deorum, & dæmonum amplexus pertraheret, & in omne denique genus flagitij impelleret. Illud verò intentis eſt animis conſiderandum, quod poſtremo loco repoſuit proph. Vendidit (inquit) gentes in fornicationibus ſuis, & familias in maleficiis ſuis. His enim verbis non tantũ idololatriæ ſcelus taxat, ſed & primam eius originem, primáque initia in memoriam reuocat, vt quibuſdã viſum eſt. Ninus enim, vt Beroſus Chaldæus teſtatur, primus omnium templum celeberrimum, bello patri, & matri Iunoni, & Rheæ auiæ & ſtatuas publicè dicauit. In ea ſententia ſunt, tum autores Hebræi tũ Lactantius, quãuis Diodorus hoc ſcelus Semiramidi videatur tribuere, quæ vaſtiſsimas & miranda magnitudine argenteas & aureas ſtatuas erexit, poſtquam Babylonem in prægrandem extruxit vrbem. Lactantius alio in loco Ciceronem ſequutus, de prima idololatriæ mentione ſic habet. Reges olim cùm Chari fuiſſent iis, quorum vitam compoſuerãt, magnũ ſui deſiderium in morte relique

liquerunt. Finxerũt ergo homines,eorum ſimulachra,vt haberent aliquod ex imagi num contemplatione ſolatiũ. Longius verò per amorem meriti progreſsi, memoriam defunctorum colere cœperũt,vt gratiam referre benè meritis viderentur, & ſucceſſores allicerent,ad benè operãdi cupiditatem. Diſcant hoc loco,qui magnas vrbes & opulentas proprio arbitrio & im perio moderantur,quantum in omnem vitæ partem momentum habeat,ita ciuium mores componere,& in ſtudium pietatis incitare,vt ſit princeps ciuitas & aliarum Regina tanquam religionis domicilium, & certiſsima ſedes. Vt enim iſtius modi ciuitates ſuo exemplo aliis ſolent locis,& gentibus virtutis facere deſiderium,& rebus honeſtis pretium imponere,ita etiam impia peccandi conſuetudine mores inficere,bona & optima ſtudia corrumpere, & in omne denique genus flagitij propria autoritate pertrahere.

Ecce ego ad te dicit dominus & reuelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam in gentibus nuditatẽ tuam,& Regnis ignominiam tuam, & proÿciam ſuper te abominationes,& contumelÿs te afficiam,& ponam te in exẽplum.

Per

PErſtat adhuc in Metaphora, ſemel aſſumpta meretricis ac fœminæ ſpecioſæ. Nihil eſt quod maiori ſolicitudine atque ſtudio fœminæ impudicæ maximè ſeruare videãtur, huius fluxæ formæ pulchritudine delectatæ, quàm vt in illis nulla prorſum fœditas appareat, quæ intuentium oculos poſsit offendere. Quòd ſi canis ſit caput reſperſum, ſi ſquallentes rugæ frontem arare incipiunt, ſi ſcaber ſitus obducat dentes, ſi leue guttur aliquantulum criſpetur, aridæ appareant manus, pedes recurui, incredibile eſt quanta diligentia hæc omnia occultantur. Tanti fit apud ſtultas fœminas leue hoc, & momentaneum corporis accidens. Ea igitur pœna grauiſsima cenſenda eſt inter cæteras, quæ à fœmina impudica & petulanti poſſunt deſumi, quæ leuem aliquam corporis fœditatem aliorum oculis contemplandam & conſpiciendam præbet, cùm nihil æquè aduerſetur illa. Eſt autem ita natura comparatum, vt quæ nobis videntur optima, & præſtabilia ad conciliandam multorum beneuolentiam & amicitiam, ac nominis celebritatem, aliorum oculis libenter contemplanda obtru

trudamus. Si quæ autem ſunt cum dedecore & vitio coniuncta, hęc ſolicitè occultamus. Clara domo quiſpiam natus eſt, & nobili familia, vehementer cupit omnibus innoteſcat domeſticus ſplendor. Notam aliquā infamiæ aut dedecoris maiores propter vitæ improbitatem ſuo vitio contraxêre, credi vix poſsit, quas huic malo tenebras offundimus, & intra latibula & receſſus abditiſsimos tenemus ne prodeat in publicum. Diues aliquis eſt, vitæ innocentia mirabilis, doctus, eloquens, nemo penè ſit qui non cupiat hæc omnia omnibus ſint quàm notiſsima, quòd nonnihil admirationis habeant, & magnam de nobis aliorum animis excitare exiſtimationem poſſunt. Poſtulat ergo Diuina iuſtitia & æquitas, vt quoniam hæc cæca noſtri indulgentia à tumore mentis, & incredibili arrogantia naſcitur, quæ nos Diuinis legibus & mandatis contemptis, & pietate animi profligata, magno ſtudio aut occultauimus, aut conſpicienda obiicimus breui temporis decurſa rebus in diuerſum mutatis, illa proferantur in publicum, quæ dedecore & ignominia nos afficere poſſunt, ea verò in ſempiternā obliuionem

exemplum? Cum homines rerum omniũ potiuntur & fœlici ſemper ac ſine vlla offenſione fortunæ, mirum eſt, quanta illos ſequatur gloria, quæ laudes, quæ virtutis, potentiæ, iuſtitiæ præconia. Prodeunt ſtatim adulantium ſuſurri, & nomen malè partum, & celebritas multis quæſita impietatibus in cœlum vſque euehitur. Tolle Regiam dignitatem, & maieſtatem imperij, tolle fortunas, & corporeæ vitæ ornamenta, quæ ſtulti mirantur & amant, videbis impudicæ fœminæ & libidine perditæ, videbis profligatorum hominum nuditatem, ignominiam, dedecus, omnes denique ruboris & poſtremæ verecundiæ cauſas, videbis quæ prædicabat vulgus falſa eſſe, quæ probabat mala, quę mirificis laudibus extollebat indigna, quę ab homine probo, vel ſummo ore aſſumētur. Tum quos antea bonos optimos, ſeruatores, patres patrię, homines appellabant, ſublatis omnibus vitæ ornamentis hoſtes iam atq; tyrannos, rebus publicis inimicos, legibus per omnia infenſos, prædones, graſſatoréſque dicunt. Rapitur enim ſtultum vulgus magno impetu in quam partem Domina

fortuna

fortuna inclinauerit. Cum Niniues mul-
tarum gentium obtineret imperium Di-
uitiis & opibus abundaret fœlicem illam
& beatam omnes dicebant, æquitatem
verò circa imperij adminiſtrationem, ſum
mámque rationem iuſtitiæ, clementiam
(quæ vna virtus ad ſummam dignitatem
adhibenda ſemper eſt) multis præconiis
extollebant, poſtquam verò à Babyloniis
fuit capta, & euerſa, omni dignitate expo-
liata, tunc tandem apparuit Tyrannidem
fuiſſe, quod exiſtimabatur Regnum cœ-
pit videri ſumma miſeria, quæ antea fœli-
citas diceretur, ſordidum & contempti-
bile, quod antea ſplendidum & magnifi-
cum, quod optimum magnáque cum vir-
tute coniunctum, ſcelus, impietas, flagitiũ-
que cœpit appellari. Itaque liceat intueri
pulcherrimum ſcortum, & fornicariam
fœminam longè omnium ſpecioſiſsimam,
quæ ſuis carminibus homines dementaſ-
ſet, contemptam, habitámque ludibrio,
multis contumeliis affectam, & oppro-
briis ſaturatam ab eis quos antea habuiſ-
ſet amatores, & propriæ venuſtatis admi-
ratores maximos.

Et erit

Et erit omnis qui viderit te, reſiliet à te & dicet, Vaſtata eſt Niniue. Quis commouebit ſuper te caput, vnde quæram conſolatorem tibi? An tu melior es quàm Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus? Aquæ in circuitu eius cuius diuitiæ mare, aquæ muri eius. Aethiopia fortitudo eius & Aegyptus, & non eſt finis, Africa & Lybies fuerũt in auxilio tuo, ſed & ipſa in tranſmigrationem ducta eſt in captiuitatem, paruuli eius eliſi ſunt in capite omnium viarum & ſuper inclytos eius miſerũt ſortem, & omnes optimates eius confixi ſunt in compedibus.

HYpotypoſis eſt venuſtiſsima, qua exprimitur quantum ſubeat admirationis eorum animos, qui cum paulò antea Niniues fœlicitatem & gloriam & venuſtatem, ſempiterna iudicarent, nunc rerum ſtatu ſubito in contrarium mutato, ciuitate funditus euerſa, omni expoliata gloria & dignitate, ad tantarum fortunarum ruinas, ſtupentes inquiunt, Vaſtata eſt Niniue &c. Vnde potuit meretrix illa ſpecioſiſsima, tantam contrahere fœditatem & turpitudinem? Quo pacto ſpeciem illã inſignem mirabilémque & egregiam formã leuis potuit aura decutere, & inimicæ ma-

nus vnguis decerpere? Vaſtata eſt Niniue domitrix gentium,imperij domina,cuius tam latè patebat dominatio. Sed ſic rerum natura fert,vt quò potentię quiſpiam plus habet, maius etiam in illum fortuna habeat imperium, tepidè enim ſe in paruis exercet,ſemper ſibi elegit vberem materiam,quemadmodum in magna lignorum mole fortiùs ac potentius ſæuit incendiũ. Magna illa Niniues proſperitas, magnos inimicæ fortunæ aperuit aditus. Non eſt ergo diuturna humana fœlicitas, lubrici ſunt humanorum graduum aſcenſus, tremulus vertex, horrendum præcipitium. Antiqua repetamus rerum geſtarum monumenta, inueniemus profectò Niniuem ciuitatem ægrè conſcendiſſe ad imperij culmen,anxiè eo in loco conſtitiſſe, corruiſſe grauiter ac repentè. Optimum ergo & ſolidum gloriæ ac fœlicitatis fundamẽtum virtus eſt & cura pietatis,ſine qua nulla eſt firma potentia: eo enim fundamento detracto, quò maior eò periculoſior ſtructura. Quis commouebit ſuper te caput,aut vnde quæremus conſolatorem tibi? Caput & labia mouere,conſolantium eſt amicorum; per malignam autem imi-

tatio

tationem, & ludibrium & contemptum, ſignificat inſultantium atque irridentium. Iob cap.16.amicorum improbitatem,& in tanta amici afflictione inhumanitatē reprehendens,aiebat, Si vos eſſetis vbi ego ſum,ego ſanè ſuper vos caput mouerem, roborarem caput meum,& conſolatio labiorum &c.Ideſt,apertam doloris ſignificationem darem, & blandioribus verbîs mitigarem,aut omnino extinguerem doloris & acerbitatis veſtræ ſenſum. Regius proph.Dauid Pſal.22.Ego ſum vermis & non homo,opprobrium hominum & abiectio plebis.Omnes videntes me deriſerunt me,loquuti ſunt labiis & mouerunt caput. Contemptui habitus filius Dei,abiectus & vilis præ omnibus mortalibus erit,in cruce verò pēdentem ſubſannabūt plerique & irridebunt capitis commotione,& profuſione labiorum. Pſal.43.de eadem re conqueritur, poſitum ſe videlicet capitis commotionem in populis. Quem locum ad gentem Iudæorum quidam referunt,ſub Antiocho Rege,& Romanorū imperio afflictam,vbi & capitis cōmotio, ſingulariter delectatos fuiſſe ſignificat hoſtes populi Dei,in tanta calamitate & mi-

ſeria. Conſolationem autem interdum capitis commotione exprimi Iob 42. legimus. Venerũt (inquit) hiſtoria ſacra ad Iob omnes fratres & ſorores, & omnes qui antea cognouerunt eum, & comederũt cum eo, & mouerunt ſuper eum caput, & conſolati ſunt eum. Quibus cernitur facilè, quid commouere caput, præſenti oraculo ſignificet. Eſt enim dolere & ſignificationẽ aliquam triſtitiæ dare in tanta perditione & interitu Niniues. Quis commouebit ſuper te caput, aut quis te in tanta afflictione cõſolari poterit? Eſt profectò calamitas tua omni conſolatione maior, nemo poſsit parem tuis miſeriis inuenire orationem, omnis dicendi facultas vincitur facilè, tanto & tam graui malorum pondere. Vnde igitur tibi quæremus conſolatorem? Sed quis conſolabitur eam quæ aliorum malis nunquam commota eſt, quæ alienis fortunis & cruore, inſtar ſæuiẽtis leonis, ſemper paſcebatur? Quis eam ciuitatem, vel leui aliquo verbo erigere velit, & compoſita oratione mœſtam conſolari, quis fleat præ dolore nimio illius excidium, quæ tantarum gentium perditione, ſingulariter delectabatur? Quicunque ergo ſummo imperio

poti

potitur, diſcat illud Catonis ſemper in animo & memoria retinere, ſi diu regnare cupit, aut poſt amiſſum Regnum conſolatorem aliquem, & ſocium mœroris & luctus inuenire. Auaricia, luxuria (adde etiã crudelitas) omnia magna imperia euerterunt. Nam qui horum ſcelerũ gratia hoſtis ſubditorum efficitur, mirum non eſt, ſi parem inciuilitatem, & aſperitatem morum propriis in periculis inueniat. Optimè profectò Ariſt. ſummus Philoſophus de adminiſtranda R.P. ſi princeps cuſtodẽ, & œconomum egerit, non propriorum, ſed communium, non ſolum durabilior erit illius principatus, ſed ſublata imperij dignitate, nemo erit qui illius afflictam fortunam, nõ tanquam propriam defleat. Quanuis autẽ Aſſyriorum imperium crudele fuerit, ſuperbum, arrogans, inuidum, adeò vt multorum ſibi odium conciliauerit. Sed auaricia potiſsimum veteres amicitias ſoluit, & inuidiam & maleuolentiam ſibi conflauit. Sæuit enim crudelitas, ſed inter paucos, auaritia inter omnes. Creſcit illa interdũ, interdum minuitur: hæc ſemper creſcit ac vigilat. Reliquæ omnes animi peſtes ad ſummum imperium adhibitæ, facilè aut

magnanimitatis aut iuſticiæ prætextu, aut alio honeſtiori habitu, occultari poſſunt: auaritia verò non poteſt nõ declarare animi ſummam vtilitatem & deiectionem. Nunquid tu melior es quàm Alexandria populorum &c. Exemplo ducto à maioribus ad minora veluti tranſit. Nam habet miras vtilitates ad perſuadendum id quod intendimus, argumentum ab exẽplo ſumptum. De qua re copioſè ſatis F. Quintilianus lib. 5. inſtitutionum oratoriarum. Nulli enim arti (vt idem Fabius dixit li. 3.) exẽplorum vſus vtilior eſt quàm oratoriæ, maximè cùm oratio circa exhortationẽ verſatur. Vt in plurimum enim futura ſemper reſpondent præteritis, habetúrque ſemper experimentum teſtimonij loco. Et quoniã exempla ex hiſtoriis ſemper, & rebus geſtis petenda ſunt, vt rhetores docent, Sanctus proph. Nahum, ex vetuſtis (vt exiſtimo) Chaldæorum & Aegyptiorum monumentis in exemplum adducit Alexandriã populorum, ſiue multarum gentium ciuitatem ampliſsimam, opibus & diuitiis fœlicem & opulentam, aquis munitam, ſuccinctam portubus. Si hæc (inquit) diuinam indignationẽ ferre non potuit, quæ tamen

natu

natura & loco munitiſsima,multis opibus & ipſo regionis ingenio vallata erat,quæ multis modis Niniue ornatior & munitior erat,exiſtimatis veſtram ciuitatem diuinæ iræ atque futuræ vltioni tutam & clauſam? Nihil eſt tam munitum quod nō poſsit Deo annuente expugnari, quod exemplo Alexandriæ facilè intelligere poſitis. Eam (vt Rab. Salomon autor eſt) Rex Babylonius vi & armis occupauit,ac deleuit funditus,quam deinde Alexander erexit, eámque ex nomine Alexandriam appellauit.Hebraicè נא interpres verò Alexandriam vertit,ſpectans, præſentem appellationem ab Alexandro inditam, non vetus ciuitatis nomen, cùm à Babyloniis fuit euerſa. Curtius libr.4. de Alexandria inquit. Alexander ab Hammone rediens, & ad Mareotim paludem, haud procul inſula Pharo ſitam, venit, contemplatúſq; loci naturam, primùm in ipſa ſtatuerat nouam vrbem condere:inde vbi apparuit,magnæ ſedis inſulam haud capacem,elegit vrbi locum, vbi nunc eſt Alexādria,complexus quidquid loci eſt inter paludem & mare, octoginta ſtadiorū muris ambitum deſtinat,& qui ędifandæ vrbi

præeſſent relictis, Mēphim petit &c. Hæc eſt Alexandria illa, quam (vt docti homines arbitrantur) ſanctæ literæ appellant נא quam propheta Nahum in exemplum Niniuitis proponit, vt à ciuitate longè omniũ fortiſsima, atque munitiſsima diſcant, vaniſsimam omnem humanam confidentiã, non fauente numine, neque rebus noſtris opem ferente. Habet autem illud venuſtatis gratiam, quòd quemadmodum Senacherib epiſtola illa quam per legatos miſit ad Ezechiam, à maioribus exemplum ſumebat, vt grauem timorem Regi incuteret, & ad deditionem ciuitatis ſolicitaret, non ſecus etiam propheta Nahum, illius orationem imitatus, & quaſi inſani hominis dementiæ & impietati vicem reddens, Alexandriam commemorat à Babyloniis euerſam, ita diuina prouidentia ferente & res humanas moderante. Non te ſeducat Deus tuus (aiebat impius, ille) in quo tu cõfidis, vt dicas non tradetur Hieruſalem in poteſtatem Aſſyriorum. Tu enim audiſti, quænam fecerint Reges Aſſyriorũ omnibus nationibus, eas excidẽdo & tu euades? Num liberauerunt dij gentium eas, quas deuaſtarunt maiores mei, Goſan, Haran,

Reze

Rezephe,& filios Hedon qui erant in Thalaſar? Vbi eſt Rex Hemath, rex Arphad,& Rex Sepharuain, Hena & Ana? Vates ergo orationem impij imitatus, hoc loco, plenámque contumeliis epiſtolam, cùm Alexandriæ meminit, quaſi in hunc modum Aſſyrium alloquitur, Non te decipiat ſtulta iſta confidentia, quã diuitiis, opibus, munitionibus collocaſti. Audiſti enim quæ fecerint Reges Babyloniorum Alexandriæ ciuitati munitiſsimæ & tu euades? Num liberauerunt Alexandriam dij ſui de manu mea? Vbi eſt ciuitas illa natura ac loco munita, ſuccincta portubus, armata muris, ad quam penetrare non poterat vlla humana vis? Dices fortaſſe, aquis & fluminibus tuã ciuitatem vallatam, at illa ſita erat in fluminibus, exercitus multitudo ampliores tibi animos facit? Alexandria verò עַמִּים dicta eſt, ideſt populorum propter hominum frequentiam, qui partim ciuitatem tuebantur conſilio & armis, partim verò ornatum, & decorem vrbis augebant. Sed diuitiæ, ſat ſcio, & opes ſtultam tibi pollicentur ſecuritatem: illa verò tãta iſtarum rerum copia abũdabat, vt ſimilis eſſet mari aquis ditiſsimo. Aut diuitias mare dicit,

quòd ciuitates maritimæ ſoleant eſſe ditiſſimæ. Habes innumeras gentes tuo obſequentes imperio ſocias & amicas, quæ te graui in periculo conſilio & armis iuuare poſsint: ac illa Aethiopiam habuit ſociam, Aegyptum & Libyam & Africam, quæ tamen non potuere ferrum depellere ab illius ceruice. Capta fuit vrbs ſæuitúmq; eſt à Babyloniis in omnem ætatem & ſexum. Paruuli enim ad ſaxa, miſerabiliter collidebantur. Nobiles verò ludibrio & contemptui Babyloniorum patuere. Fortes eius & magnates, gladiis cõfixi, vel in vincula cõiecti ſunt, vt Hebræa ſignificare videntur. Clamat itaque Alexandria, clamat & Niniues (parũ dixi) clamat ingens Ilion, clamat & Corinthus, Præneſtina arx, quibus nullæ vnquam fuere vrbes, aut loca munitiora, humanam omnem fiduciam, quæ à Deo non proficiſcitur, & optimè de ſe iudicante conſcientia, vanam omnino eſſe. Securius agit pius animus, vera pietate munitus, & ſeptus, quam humana ſuperbia mediis aquis ſita, & rupibus præaltis cõfidens. Nullus eſt tam munitus locus, in quem non poſsit aſinus auro onuſtus aſcendere, vt habet prouerbium.

Et

Et tu ergo inebriaberis & eris deſpecta, & tu quæres auxilium ab inimico.

DIxi in ſuperioribus inter cæteras cõminationes grauiſsimas quæ ſacris ſunt oraculis exceptæ, ebrietatem principem tenere locum. Nulla atrocior pœna poſsit ab humana mente excogitari, quàm ea quæ vires rationis, & principem hominis partem obruit & conficit. Nihil enim ex prudentia & iudicio aut conſilio recto ebrioſi aut furioſi efficere poſſunt, quibus quæ falſa ſunt, vera videntur, quæ peſſima, bona atque optima, quæ fugienda maximè: omni ſtudio atque diligentia expetenda. Frequens eſt in diuinis literis hæc vindictæ ratio, apud prophetas pręſertim, qui atrociores ſemper caſtigationes, & ſupplicia in nefarios homines intentabãt, quo illos potenter à ſcelere & ſtudio peccandi reuocarent. Sanctus propheta Hieremias Threnorum cap. 4. explicato miſerabili Iudęæ gẽtis exitio, aduerſum Idumæos impetum orationis conuertens, in hunc modum impios homines alloquitur, Gaude & lætare filia Edon quæ habitas in terra Hus, nam ad te perueniet calix Domini, bibes, inebriaberis, atque nudaberis.

Eleganti & faceta ironia leporis plena, Idumæos irridet, & diſsimulanter aliud iacit, atque aliud ſentit. Exultauerat lęti-tia incredibili populus ille, & quaſi præ gaudio triumphauerat, & veluti ſummis in voluptatibus fuerat debacchatus, cùm gentis Iſraeliticæ exitium, & poſtremum in periculum veniſſe illius fortunas, acce-piſſet. Gaude (inquit propheta) tuo iſto tam excellenti bono, & fruere populi Dei commodis, tanquam optima fortuna & gloria, quæ ingenio & moribus tuis con-uenit. Sed breui atque celeriter id lætitiæ tibi eripietur, & quæ tibi videbantur plau ſibilia, quorum gratia gaudebas tantope-re, vertentur in luctum, adeo vt tuis malis depreſſa, de noſtris calamitatibus glorio-sè loqui deſinas. Veniet ad te Domini calix, bibes, inebriaberis, & nudaberis. Acſi dicat, quidquid pœnarum eſt, in tuam gentem refundet magnus ille imperator & iudex. Plenus eſt ſuppliciorum calix ille Diuinæ ſæueritatis, & malorum non exigua portio vaſe illo tibi eſt repoſita. Bibes profectò, velis nolis, ad ebrietatem vſque, ita vt ſtatu mentis dimoto, tuis inte gumentis euolutam, atq; nudatam vilita-
tem

tem propriam, & fœditatem, cæteris conſpiciendam & contemplandam obiicias. Vides ebrietatis nomine ſupremam vindictæ rationem, & perturbationem omnium conſiliorum prophetam ſignificauiſſe. Eandem igitur pœnam (quæ more loquendi ſanctarum ſcripturarum ſumma eſt) in viros Niniuitas ſanctus Nahum intentat, cùm ebrietatis meminit. Vaticinatur enim de venturo excidio illius gentis, foréque prædicit, vt propter magnitudinem periculorum, quibus eſſet intercipienda, rationis & conſilij impos eſſet omnino, inſtar eorum quibus eſt mens ſuis ſedibus dimota, præ nimia vini ingurgitatione. Conquerebatur apud Theognidē quiſpiam, quòd caput doleret. Doleo (inquit) caput Onomacrite, tantámque mihi vinum violentiam intulit, vt amplius animi non ſim compos mei, rotantur ædes, & omnia (vt mihi videtur) torquentur in orbem. Age igitur ſurgens experiar, an & pedes vinum inuaſerit. Pulcherrima, me hercle, hominis ebrij hypotypoſis, cui omni in re, cogitatio, conſilium, animaduerſio deeſt. Et quoniam longiores vini hauſtus ſequuntur actiones immoderatæ, &

inho

inhoneſtæ ſapienter profectò ſubiecit, Et eris deſpecta. Conſultus aliquando Pythagoras, quopacto vinoſus ebrietatem deſereret, Si quæ ebrius faciat (inquit) frequẽs cum animo cogitet. Nam quis obſecro nõ eum hominem deſpectui habeat, qui figuram tantum hominis & imaginem retineat, conſilij verò & rationis nullum vel leue veſtigium ſeruarit? Atqui ſolet vinũ, & ebrietas nimia, vt eſt apud Homerum, ſapientiſsimum quemque excitare ad illiberales ludos, & cantus & ſaltationes, ad tripudia, molléſque riſus, & ad immodicã profuſionem verborum, quæ pertinaci eſſent ſilentio comprimenda. Quòd ſi hæc ſufficiunt, vt cuiuſmodi homines contemnamus, ac viles omnino reputemus, quid verò de illo iudicãdum arbitrêre, qui ſummum in alios obtinuit imperium, cuíque commiſſa eſt multorum hominum proſpectio & gubernatio, ſi vino noctibus, diebúſque indulgeat? Gubernator ebrioſus, & quicunque rerũ præfectus (vt à Platone rectè dictum accepimus) omnia ſubuertit temerè, ſiue nauigium, ſiue vehiculum, ſiue Regnum, quidquid deniq; illius fidei commiſeris. Nonne hunc hominem

maiori

maiori proſequamur deſpectione, & abiectiorē multò reputemus, qui cū aliorū ſuſceperit curam & prouidentiam, bis puer efficitur (vt eſt apud eundem Platonem) cùm vino intemperanter vtitur. Erat ergo reliquum, vt quam ebriam duxerat vates, vilem & deſpectam appellaret. Nam quæ ciuitas aliis præeſt, & multarum gentium penes ſe habet gubernacula, ſi conſilio vacua mentéque ſit emota, tanquam ebria, & plena vino, iure contemnatur ab omnibus, & vilis omnino reputetur. Atq; eo magis, quo ſublimiori dignitatis loco, & ordine conſtituta eſt. Eo fortaſſe oraculum ſpectat propheticum, vt quoniam ebriam appellauerat Niniuem, ſoleántque animi mores in vino apparere (vt ab Heraclito & Platone proditum eſt) ab omnibus contemnendam pronunciat agnitis illius ſceleribus, & impietatibus. Nihil enim eſt in humana vita maiori dignum contemptione, quàm flagitium & vita longè corruptior. Iam quæ ſequuntur, Et tu quæres auxilium ab inimico, aut (vt alij vertunt) propter inimicum, ad periculum vrgens ſunt referenda, quod viris Niniuitis intēdebatur, cui pro-
pulſando

pulſando cum propriæ vires non ſufficerent, aliunde ſibi eſſent quærenda præſidia.

Omnes munitiones tuæ ſicut ficus cũ groſsis ſuis, ſi concuſſæ fuerint, cadent in os comedentis. Ecce populus tuus mulieres in medio tui. Inimicis tuis ad apertionem pandentur portæ terræ tuæ, deuorabit ignis vectes tuos.

RIdet vates egregius Niniuitarũ præſidia, in quibus ſuas omnes collocant ſpes: & venuſta Metaphora primò ac ſimplicioribus verbis, deinde illos ab ſtulta præſidiorum confidentia deiicit. Omnes munitiones tuæ ſicut ficus cũ groſsis ſuis quæ ſi concuſſæ fuerint cadent in os comedentis. Ficubus antea quàm matureſcant munitiones Niniuitarum aſsimilat, aut (vt quidam rerum cõtemplatores dixêre) quæ non matureſcunt, ad oſtendendam munitionum inutilitatem, quæ nullis vſibus eſſent aptæ, neque Aſſyrios tueri ab incurſionibus, & impetu hoſtiũ poſſent. Groſsi enim adeò rem ruſticam tractantibus, ad rem nullam vtiles videntur: vt quemadmodum lib. 3. Colum. voluit decutiendi ſint ab eo qui velit ficum feram natura optimam facere. Ergo quas fortiſsima,

exiſts

exiſtimatis arces,& mœnia,& aptas ad arcēdam hoſtium violētiam,inutiles & ineptas vſibus probabit euentus,ô viri Niniuitæ.Sic enim diuina prouidentia,quæ omnia rectiſsimè moderatur voluit,vt quæ vos in proximorum perniciē fabricaſtis, & ad multorum hominum moleſtiam erexiſtis,vt inſtar aranearum muſcas captantium prætereuntibus inſultaretis, prorſus intereant ac ſolo æquentur.Ego verò non tam inutiles fore munitiones & arces à diuino vate prædictum crediderim: neque tam expectaſſe inutilitatem præſidiorum, quàm infirma neque ſatis tuta,vt illis Aſſyrij ſuam committerēt ſalutem. Cū enim groſſos commemorat quæ decuſſæ in os comedentis vltro incidunt, præcoquas ficus proculdubio ſignificare voluit,quæ à quibuſdam flores appellantur.Hæ leui impulſu decutiuntur ab arbore,& leuiori vē torum flatu in humum decidunt. Iam quæ in os comedentis inciderunt nullo deuorantur labore. Nam quæ decidunt in terram,colliguntur,prono aliquantulum corpore,& brachiis in humum protenſis. Itaque tota Metaphora ſpectare mihi videtur in ſummam capiendæ vrbis facilitatē,

quę erat à Babyloniis nullo labore,aut negocio diripienda,ac deuaſtanda funditus. Et quia certiſsima belli pręſidia,aut in munitionibus,& militum animis poſita ſunt, de bellatorum imbecillitate ſubiecit, Populus tuus mulieres in medio tui. Propriũ non tenebunt locum,vim hoſtium & impetum;vt fœminæ pertimeſcẽt,periculum adire recuſabunt,nullum dabunt militaris virtutis ſignum. Quid ergo vobis faciendum erit,quibus omnia ſunt poſita in præſidio bellicæ virtutis? Ad eandem rem pertinent quæ dicuntur de portis,quæ hoſtibus vltro eſſent aperiendæ,vectibus atque ſeris ferreis, omnibúſque repagulis, igne conſumptis. Sunt ergo munitiſsimæ arces, & tutiſsima in omni vita præſidia, ſine vllo prorſum apparatu,optima viuendi ratio,cultúſq; pietatis,& honeſti amor. Cæterum ſine ſummi Dei timore ab humanis præſidiis ſalutem ſperare,poſtremæ ſit dementiæ.

Aquam propter obſidionem hauri tibi,extrue munitiones tuas,intra in lutum & calca,ſubigens tene laterem. Ibi comedet te ignis,peribis gladio,deuorabit te vt bruchus. Congregare ergo vt bruchus,multiplicare vt locuſta.

Plures

Plures feciſti negociationes tuas, quàm ſint ſtellæ cœli. Bruchus expanſus eſt & auolauit. Cuſtodes tui quaſi locuſtæ, & paruuli ipſi locuſtæ locuſtarum quæ conſidunt in ſepibus in die frigoris. Sol ortus eſt & auolauerunt, & non eſt cognitus locus earum vbi fuerint.

IRonia eſt ſalis & elegantiæ plena, qua humana omnis induſtria ad fugiẽdum periculũ riſu excipitur. Aut μυκτηρισμὸς, eſt, ſimulatus videlicet, ſed non latens riſus. Iubet haurire aquã, ne potus fortaſſe deſit munitioni obſeſſæ, lateres conficere, vt murorũ interrupta poſsit ſtruere, quaſi iam propè eſſet obſidio. Ecquid iuuat iſthæc omnia incredibili ſolicitudine curare: niſi Deum Opt. M. habeatis propitiũ? Intelligite vana eſſe hæc omnia, futilia, mẽdacia, ſine beneuolentia Numinis. Agnoſcite falſam eſſe ſalutem quã inani ſpe inducti vobis pollicemini. Cùm enim omnia humana conſilia, cogitatus, vires, robur, induſtria in vnum collecta: ſummam ſibi pollicentur ſecuritatem, & aduerſum diuina decreta, contumaciter pugnare nituntur, minutiſsimis animantibus & inſectis ſunt infirmiora. Quid imbecillius brucho & locuſtis? quid imbecillius attelabo? quæ

modicis pennis reptat,potiùs quàm volat, ſemperque ſubſilit? Sed maior eſt infirmitas humanorum præſidiorum,fortiſsimarum munitionum,debilius delectæ iuuentutis robur,& minoris momẽti ferocia militum. Si auxeris bellatorum numerum,& diuitiarum multitudinem congregaris: ita vt cum cœlorum aſtris videantur certare, inſtar locuſtarum & bruchi diſsipabuntur omnia. Nam ſolent hæ animantes viliſsimæ,vt frigore rigente, torpere & conſumi,ita exoriente ſole auolare,nullum ſui relinquentes veſtigium.

Dormitauerunt paſtores tui Rex Aſſur, ſepelientur principes tui,diſperſus eſt populus tuus ſuper montes, & non eſt qui congreget,non eſt obſcura contritio tua: peſsima plaga tua, omnes qui audierunt auditionem tuam, compreſſerunt manum ſuper te, quia ſuper quem non tranſiuit malicia tua ſemper.

POſtquàm ad aduentum potentiſsimi Regis Babyloniorum multitudo Niniuitarum de propugnaculis fugerint, & inſtar locuſtarũ exoriente ſole,terga verterint,principes & duces populi horrenda morte afficientur,ac reliquus deinde populus imbecillis & ignobilis,deficientibus

impe

imperatoribus & ducibus per mortẽ ſublatis, in montibus diſpergentur: nullus enim erit qui ſemel diſsipatum iterum cogat, exercitum. Sed neque illud leuamenti, in tanta calamitate habebunt Aſſyrij (quod pleroſque hominum variis iactatos calamitatibus cõſolari ſolet) cùm ſecretum eſt & occultum videlicet doloris vulnus. Omnium ore celebrabitur tuum excidium, ad omnium aures perueniet Niniues miſerãdus interitus, omnes de tua perditione loquentur feruenter. Nullum verò in tantis malis conſolatorem inuenies, aut qui rebus tuis miſerè afflictis indoleat. Omnis cui in tanta famæ celebritate notus fuerit Niniues interitus, audierit ſubuerſam vrbem potentiſsimã, & imperatorẽ & regem ſemineccm iacere, & proprio in ſanguine volutari, ſtupebit primò propter rei magnitudinem, & inſperatum nuntiũ, & præ gaudij magnitudine inſultans tibi manibus plaudet, & magno lætitiæ ſtrepitu cõcrepabit. Sed quis ſuper te dolere poſsit, & vulneri tuo donare lacrymas, cùm ingentes omnes, & longè diſsitas regiones malitia tua & improbitas, cupiditas, auaritia, ambitio penetrarit? Diſcite ergo Aſſy-

rij,meis monitis animos commutare ve-ſtros,diſcite tempeſtatiuam iuſtitiam, ne tum ſapere incipiatis, cùm ſera erit omnis admonitio. Ponite tumentes animos, ſuperbum & ferox dominandi votum ponite, facite vt mutatis moribus, & nouo habitu mentis aſſumpto ſummi Dei beneuolentiam vobis concilietis, agnoſcite illius manum muneribus plenam, coram vobis extenſam,& animum benefaciendi cupidum veneramini, ne ſi in ſceleribus priſtinis fixo animo ſemper ſitis,vt innumeras alias gentes,vos deiiciat atque perſundet.

FINIS COMMENTARIO
rum Cypriani Monachi,in
prophetam Nahum.

– 6 –